7/1350


Jacobus Gretserus de Funere Christiano aduersus sectarios

I. 8. 11.

6
35-E
58



14-14-G-1



Digitized by Google

~~I. 7. 14~~

Digitized by Google

Digitized by Google

IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI

DE

FVNERE CHRISTIANO

LIBRI TRES

Aduersus Sectarios.


AD

REVERENDVM ADMODVM ET MAGNIFICVM DOMINVM, D. FRIDERICVM FORNERVM SS. Theologiæ Doctorem, Vicarium Bambergensem, &c.

Bibliotheca Angelica S. Augustini de urbe







6
35
E
58

INGOLSTADII,
Ex Typographeo, ADAMI SARTORII,
ANNO M. DC. XI.

Digitized by Google



Digitized by Google



ADMODVM REVERENDO, MAGNIFICO ET CLARISSIMO DOMINO FRIDERICO FORNERO, S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI, REVERENDISS. & Illustriss. Præsulis ac Principis Bambergensis IOANNIS GODEFRIDI, in spiritualibus Vicario, &c.



IACOBVS GRETSERVS.



NOSTI, admodum Reuerende & Magnifice Domine Doctor, *quanta orationis vi ac vehementia S. Paulus, Timotheum, discipulum suum, cohortetur, ne propter homines,* quibus insuauis est prædicatio veritatis, aliquam sibi segnitiem prædicandi subrepere *sinat.* Testificor, *inquit,* coram DEO, & Christo IESV, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentũ ipsius & regnum 1. Tim 4.

Illi, DEO, Religioni, & tibi gratulantur: Isti, ringuntur.

Taceo præclara ingenij tui monumenta, quæ Latinâ pariter & vernaculâ linguâ euulgasti; partim formandis ad Virtutis, potissimum temperantiæ, normam, Christianorum moribus: (huc enim eximium illud tuum, & varietate rerum locupletissimum opus contra Ebrietatis pestem tendit:) partim à prisco rectæ fidei tramite exerrantibus, in viam reuocandis.

Qui tui pro Ecclesia DEI feliciter suscepti labores, iam pridem animum meum vinculis tam arctis constrinxerunt; vt inter eos, qui te admirantur, colunt, & reuerenter obseruant, stationem mihi dari voluerim, & quidem non postremam; idq; cum aliâs semper expetij, tum præcipuè nuper, cum fama ad nos pertulit Reuerendissimum & Illustrissimum Præsulem ac Principem BAMBERGENSEM, JOANNEM GODEFRIDVM, &c. societati nostræ sua in Primaria ciuitate, Collegium excitasse, & annuis prouenti-

uentibus munificè ac liberaliter instruxisse: & iam inibi rem esse, vt ludus literarius iuuentuti doctrina & pietate excolenda aperiatur. Et quia non dubitabam TE his tam laudabilibus orsis ac cœptis tuo consilio & auxilio adfuisse, magna ad priorem meam in TE obseruantiam accessio facta est; tum propter hoc nouum in eum Ordinem, cuius pars sum, licet minima & infima, beneficium: tum, quia certam in spem vocor, ex hoc Collegio insignes vtilitates ad nobilissimam Ecclesiam & Diœcesin BAMBERGENSEM redundaturas.

Ne autem semper meam hanc animi affectionem, & quod nuper ad eam additum est incrementum, quasi intra priuatos parietes continerem, volui, vt eius testis & index hic liber in publicum prodiret; qui est quidem de FVNERE; argumento multis inauspicato; sed hîc nihil sinistri ominis metuendum; vbi FVNVS non ducitur, sed scribitur & legitur: Et scribitur non quouis, sed Christiano more & modo. Christiani enim funeris ritus mihi hac lubratione illustrare propositum fuit. Et

Digitized by Google

causas consilij mei habui. TV, Admodum Reuerende, & Clariss. Domine Doctor, *duo bonam in partem interpretaberis: alterum, quod illustriore munere beneuolentiam meam in te non declaro: alterum, quod obscuritati operis mei à nominis tui claritate lucem accendo. Vale. Ingolstadij, Kalendis Iulij. M. DC. XI.*



Digitized by Google



LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Mice Lector. Quod forſan mox futurus ſum, id tractare & explicare volui, nempe *Funus*. Hoc vt facerem, incitauit me cum illa cupiditas, qua iam pridem Eccleſiæ Catholicæ ritus illuſtratos intueri deſidero; tum etiam mira eorum diligentia, qui nuper aliquot libris *de Funere* veterum Romanorum diſputarunt. Cogitabam, facinus non ſatis dignum, funera Chriſtianorum, quibus patria, hæreditas & ſedes cœlum eſſet, obſcura nocte tegi; Funera verò eorum, qui ſine vllâ ſpe futuræ reſurrectionis & æternæ beatitudinis hinc exceſſerant, ſcriptionis luce in omnium conſpectu poni. Itaq;

manum operi admoui. Nec tamen Nouatorum oblitus ſum; nam vt in aliis pleraque nouarunt, ita etiam ipſa funera & funebres cæremonias nouationis ſuæ noluerunt eſſe expertia; vt fateberis, vbi hos libros perlegeris.


Complectemur autem hoc argumentum tribus libris; primus continebit ea, quæ funeris elationem antecedunt. Secundus ea, quæ comitantur. Tertius ea, quæ ſubſequuntur. Nec quidquam rituum ethnicorum attingam, ex inſtituto certè; nam ſi quid obiter tangetur, id præter & extra inſtitutum fiet.

Iulian. Apoſtata Imp. Epiſt. ad Oribaſium.

Opto autem, vt quiſquis hos libros legerit, peſsimi hominis optimam & ſaluberrimam gnomen ſeu ſententiam mente reponat. *Breue tempus bene & innocenter actum, peccanti immortalitati anteponendum eſt.*

APPRO-

Digitized by Google



APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

HOs tres libros de Funere Christiano à P. Iacobo Gretsero conscriptos, & à Patribus ad id destinatis lectos & approbatos, ego Theodorus Busaeus Societatis Iesu per superiorem Germaniam Prouincialis potestate mihi facta ab admodum R. P. N. Claudio Aquauiva Societatis Iesu Præposito Generali typis mandari permitto. In cuius fidem hoc Auctori testimonium mea manu subscriptum & sigillo munitum dedi. Ingolstadij, Anno Christi M. DC. XI. VIII. Januarij.

Theodorus Busaeus.

Digitized by Google



IN FVNVS CHRI-STIANVM.



AN c hominí natura dedit decurrere legem;
Aut nox, aut modici luminis vmbra sumus.
Quare omnes merito curant sua funera fletu,
Extremus functis ne malè desit honor.
Est tamen officiis moderatio talibus, & sunt
Pomparum certi vero in honore modi.
Flere necem fas est, non plangere; sufficit illud,
Qui consanguineos vult decorare suos.
Lamenta insanis sunt conuenientia turbis,
Rugire amissa bellua prole solet.
Quid tuba clara seni, decima aut quid tibia pubi
Addit? an hos curant mortua membra sonos?
Aut quid, si tristem meditatur femina lessum,
Adiuuat, & teneras it laniata genas?
Vnguibus illa genas quamuis in vulnera radat,
Te tamen elatum vipera diripiet.
Quid mandas crasso condire cadauer amomo?
In tumulo Syrius vim quoque perdit odor.
Virtutes extende tuas, dum suppetit annos
Parca, nec in seram ferreus esto necem.
Sera, vbi iam cineres fumant, adhibentur acerra,
Antè Deus viuo thure rogandus erat.
Longa corona rogum licet ambiat, ascia cedrum
Ornet, in hac solitam vim tamen ignis habet.
Busta suis Christi miles virtutibus ornat,
Cum cineri exoptat molliter esse suo.

Nil

Nil gladiatorum captiuorumq́; cruore
Placantur manes, Tartareusúe canis.
Humanus sanguis, postquam nos abstulit Orcus,
Frustra feralem funditur ante rogum.
Sanguine nos Christi melius succurrimus, & quæ
Pro conclamati Mysta salute facit.
Nil, tua ni tecum subeant benefacta sepulchrum,
Te sex lectorum millia, Sulla, iuuant.
Prælata angustam cruce tutius itur in vrnam,
Quam sibi præmisit relligionis amor.
Vrere purpureas nil prodest, Romule, vestes,
Si tua perpetuus deuoret ossa dolor.
Corpora nos tumulo, mentes ornamus Olympo:
Roma, tuum FVNVS *suspice,* FVMVS *erit.*





INDEX CAPITVM LIBRI I.

Index



Index Cap. Lib. II.



Index


Digitized by Google



Index Cap. Lib. III.



DE



De Funere Christiano



Carmen

CLARISSIMI VIRI PHILIPPI MENZELII MEDICINÆ DOCTORIS EIUSDEMQUE IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI Professoris Ordinarij.



UID miseri, qui vasa sumus testacea, fractu
Proxima, mortales, quæ spe terrena moramur
Immemores nostri; castellaq́ in aëre vanæ
Extruimus prolixè, hodie, cras certa futuri
Funera! Quò rapit ardor opum! quo bruta libido!
Ambitioq́ tumēs! Humana est gloria, fumus;
Diuitiæ, puluis; leuis, heu, leuis vmbra, voluptas.
Felix ille, memor qui fata nouißima, noctes
Prospicit, atq́ dies: momentaq́ ponderat horæ,
Ultima quæ sua quemque manet; venturaq́ cunctos,

*** *Impro-*

Improuisa ruens, personam detrahet omnem.
Næ scelerũ purus (quod dia oracla loquuntur)
Is pauidus semper, quantum est, benè transiget
æuum.
Pro foribus mors stat, quæ propugnacula
victrix,
Murorumq́; minas positasq́; in montib. arces,
Transuolat aëripes; falcéq; coruscat eandem
In summos, nullo pariter discrimine, & imos.
Hæreat illa animis igitur, iugiq́; recursu
Multa monens nostri speculum sit finis, &
ortus:
Quos, humili mater concretos puluere tellus,
Pulueream in glebã recidiuos alma receptat.
Sic præstabilius perhibet sacra pagina, luctu
Atratas intrare domos, quam visere tecta,
Multus vbi spumãs hilarat cõuiuia Bacchus.
Nec tamen id propter, quia pars est altera
nostri
Assimilis domui luteæ, peredendaq́; tabo:
Putribus & debet tineis, ac vermibus escam:
Quum vita spoliata iacet, nullo illa sepulchri
Dignanda est ritu, nullo decoranda paratu.
Tempus erit, quando hæc ramenta cadu-
ca, scobesq́;

Corpo-

Digitized by Google


Corporea, mundi, rursum, sub fine, coibunt.
Diuino in veterem fato reuocata, figuram,
Splendidiora nouis, numerosq; integra per omnes.

Ut quondã artifices, argẽti, auriq; metallis
Fulgentes statuas mille in fragmẽta minutas,
Flãmatis recoquunt fabrè, fundũtq; caminis,
Mox ipsum id, meliusq; recẽs opus exit ab igni.

Sunt ea templa DEI: *sunt, quæ spirabile numen*
Tecta habitat, quondamq; tuba clangore supremæ,
Omnibus è latebris terræ, maris, aëris, ignis,
Eruet, instaurans collapsa; animataq; vitæ
Flamine; quæ meruère, ad præmia digna vocabit.

Ocyus ergò procul vos hinc remouete, profani
MACCHIA*velliadæ: tum si quæ è faucib. orci,*
De genere hoc, diri grauis armatura Sathanæ
Altera adhuc, summis conatibus imminet vsquam,
Excidiumq; DEI *populo, pestemq; minatur*
Styx valeat vobis; numen sit nomen inane:
Corpora quũ pereunt, animas occũbere iuxta

Vno hauſtas, eodemq́; rogo, ſit credere veſtrũ:
Idcircò referre nihil, ſublimis, humiue
Proiectus, pendenſúe aliquis cineſiat: & vltrò
Nil cum tardigradis ſepeliri horreſcat aſellis.
CHRISTIADVM melior præcordia ſpiritus implet:
Speſq́; rata firmant. Cunctis pietatis auitæ
Scimus ab exemplis, multum reuerenter habendas
Exuuias animæ, quamuis algentia morte,
Tantiſperq́; cauis, membra, aſſeruanda ſepulchris.
Si veri te tangit amor, ſi gratia, lector,
Aſpice, vt hæc facili felix induſtria vena
GRETSERI, longis annalibus eruta promat,
Quo tu melle mero ſatur, & quo nectare potus,
Reſpue viroſa tam tetra abſinthia ſectæ.



DE



DE FVNERE CHRISTIANO
LIBER PRIMVS.

Qui funus antegredi conſueta explanat.

TRIPLICIA ſunt, quæ funus anteeunt. Nonnulla enim pertinent ad corpus defuncti, vt ſunt lotio, vnctio, veſtitio, in loco publico expoſitio, & alia huius generis. Quædam in ſubſidiis animæ numerantur, vt preces, oblationes ſeu Miſſæ, Eleemoſynæ, Pſalmodiæ. Huc refer æris Campani pulſum, quo ad bene precandum defuncto viuentes excitari ſolent. Alia potiſſimum ſunt beneuolentiæ & amoris in mortuum argumenta; in quorum numero luctus planctuſq; charorum: veſtium vſitatarum in lugubres commutatio, & id genus alia.

Digitized by Google



CAPVT PRIMVM.

Mortuorum corpora lauari solita. A quibus? Cur?

PROBATVR hic mos I. Exemplo Christi, cuius corpus exanime, de Cruce depositum, non modò vnctum, sed & ablutum fuit; quia Euangelista dicit; *Acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Qui mos sepeliendi non tantum vnctionem aromaticam, sed & lotionem respicit: cum dicat sepultum, eo modo, quo Iudæi sepelire & sepeliri solebant. At Iudæis hic mos fuit, vt non modò vncti, sed & loti sepelirentur.

Ioan. 19.

Idem de Christo ex antiquis testatur S. Ioannes Chrysostomus: *Mihi videtur nobilissimum fuisse Ioseph, quod ex sepulchro constat, & Pilato erat notus; quare impetrauit & sepeliuit IESVM, non vt reum, sed magnificè secundum Iudæorum consuetudinem, &c. Cum autem tempore vrgerentur, hora enim nona mortuus fuerat, & dum peteret eum à Pilato, & dum LAVARENT, iam vespera aduentarat,* &c. Idem ex recentioribus docet Salmeron.

S. Chrysost. Hom. 84. in Ioan.

Salm. Tom. 10. Vbi de sepult. Christi.

Allusit eodem Epiphanius Homil. *de sepultura Domini*, vbi Iosephum ab Arimathia hunc in modum alloquitur. *Anne aquâ Dei illius corpus abluis, qui omnes à peccatis abluit & expiauit, omnibusq; puritatem tribuit? Fertur,* inquit Lorinus noster in cap. 9. Act. *Balduinum Hierosolymorum Regẽ ad Flandros suos ex Palæstina misisse pretiosas*

ac mundas sordes ex abluto corpore mortui Christi existentes per Abbatem S. Bertini.

II. Idem mos probatur exemplo Deiparæ Virginis, cuius mortuæ corpus lotum fuisse testatur Damascenus Orat. de Dormitione Deiparæ Virginis. *Sed neque aqua natura erat expers benedictionis. Lauatur enim aquâ purâ, quæ non eam mundabat, imò verò ipsa sanctificabatur.*

III. Idem ex Apostolorum Actis liquet, vbi S. Lucas de Tabitha. *Quam cum lauissent, posuerunt eam in cænaculo.* *Cap. 9. Act.*

IV. Ad morem hunc allusit Tertullianus in Apologetico. *Non lauor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. Attamen lauor honesta hora, & salubri, quæ mihi & colorem & sanguinem seruet. Rigere & pallere post lauacrum mortuus possum.* Quasi dicat, se nolle ex matutino lauacro rigorem ac pallorem contrahere; satis superque fore, si rigeat & palleat post lauacrum, quod aliquando vita functus sit subiturus & initurus. *Tertull. Apol. cap. 42.*

V. Idem ostenditur multis exemplis, quæ veterum Patrum & Historicorum monumenta nobis suppeditant. Nam apud S. Gregorium Theophanius Comes exanimis lauatur. Cuius *corpus dum ex more ad lauandum fuisset nudatum, ita manus* (prius chiragricæ) *pedesq; eius* (antea podagrici) *sani inuenti sunt, ac si vnquam vulneris nihil habuissent.* Nota illud: *Ex more.* Vulgatum igitur atque vsitatum erat defunctorum corpora lauare. *S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 27. Idem Hom. 36. in Euangelia.*

Alibi idem S. Gregorius de paupercula cuiusdam marito mortuo; *quem* ex more *lotum vestimentis indutum, & Sabbato constrictum, superueniente vespere, sepelire nequiuerunt.* *S. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 17.*

Digitized by Google

Euseb. lib. 7. Hist. Eccles. cap. 17. Eusebius ex Dionysio Alexandrino, vbi agit de incredibili Christianorum in eos, quos pestis corripuerat, charitate & beneuolentia. *Quinetiam Sanctorum corpora manibus erectis supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare: gestare humeris cadauera, decenter ornare, illis adhaerescere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluere grauati non sunt.* Vides hic plures quasi in vnum fascem comportatos funebres mores, de quibus sigillatim postea.

S. Cuthberti Episcopi & Confessoris corpus non modò ablutum est, sed & aqua, quæ sacrum corpus abluit, vel potius terra, quæ funebri illa lympha fuerat respersa, aliis salutifera accidit: teste venerabili Beda in vita S. Cuthberti, nam Dæmoniacum ad sepulchrum Sancti adductum scribit: qui cum *vlulando, ingemiscendo, & frendendo dentibus nimio cunctorum visus & auditus horrore concuteret, nec esset, qui aliquod remedij genus excogitare quiuisset, tum ecce quidam de presbyteris edoctus in spiritu, per opitulationem B. Patris Cuthberti, illum posse sanari, venit clanculo ad locum, vbi nouerat effusam esse aquam, qua corpus eius defunctum fuerat lotum: tollensq; modicam humi particulam, immisit in aquam: quam deferens ad patientem, infudit in ore eius. Quo horribiliter hiante, voces diras ac flebiles emittebat. Statim autem vt attigit aquam, continuit clamorem, clausit os, clausit & oculos, qui sanguinei & furibundi patebant, caput & corpus totum reclinauit in requiem. Qui etiam placido sopore noctem transegit, & mane de somno simul & vesania consurgens, liberatum se à Dæmonio, quo premebatur, beati Cuthberti meritis & intercessione, cognouit, &c. Ostenditur vsq; hodie fossa illa, cui memorabile infusum est lauacrum, quadrato schemate facta, ligno vndiq; circundata, & lapillis intus impleta.*

Cap. 42.

Est

Digitized by Google

Est autem iuxta Ecclesiam, in qua corpus eius requiescit, ad partem meridianam; factumq; est ex eo tempore vt plures sanitatum operationes per eosdem lapides, vel eandem terram, Domino donante, fierent.

De S. Huberto Episcopo Leodiensi Auctor, qui vitam eius scripsit. *Corpus eius ablutum lymphis, atq; circumdatum peplis, loculo superponunt.* *Tom 6. Surij.*

Corpus Caroli Magni *more solenni lotum & curatum, & maximo totius populi planctu Ecclesiæ illatum atq; humatum est*, vt ait Eginhardus. *Eginard. in Vita Caroli Magni.*

S Martius Abbas cum exspirasset, *cum summo honore ablutus, dignisq; vestimentis indutus, infra oratorium Monasterij est sepultus*, vt ait Gregorius Turonensis. Idem totidem propè verbis in eodem libro scriptum reliquit Turonensis; quibus adde Patroclum Reclusum, de quo, in proprio libello idem Turonensis. Adde insuper B. Seruatium, & S Gallum Episcopum Auernensem, de quibus Turonensis in Historia Francorum, & Marianum de quo, in lib. de gloria Confessorum, & Saluium Episcopum de quo lib. 7. Hist. Francorum. *Turon. lib. de Vitis Patrum cap. 8.* *Cap. 12.* *Lib. 2 cap. 5.* *Lib. 4. cap. 5.* *Cap. 81.* *Cap. 1.*

S. Vdalrici Episcopi Augustani corpus, *cum ad lauandum more solito denudatum fuisset*, suaui odoris fragrantia nares omnium repleuit, vt inquit Auctor Anonymus, qui vitam S. Vdalrici in literas misit. Idem testatur Berno in vita eiusdem sancti Præsulis.

Ablutũ quoq; est exanime corpus S. Hugonis Episcopi Lincolniensis, vt in eius Vita legimus. Similiter corpus B. Vicentij Ferrerij aquis lotũ est, *quemadmodum habet multarum gentium consuetudo, vt corpora vita functorum lauent. Aquam verò ipsam, qua illud abluit, diu accurateq; conseruarunt, nec ea vnquam corrumpi potuit, nec inde aut vermes aut aliquid fœditatis enatum est: imò verò tam-* *Tom. 6 Surij.* *Tom. 2. Surij.*

diu gratissimi fuit odoris, donec in eo vase, in quo asseruabatur, penitus consumpta est. Multi etiam cum ex ea bibissent, variis sunt morbis liberati. Ita Petrus Rauzanus, qui res à S. Vincentio gestas memoriæ consignauit.

Angradus Monachus in Vita S. Ansberti Episcopi Rothomagensis Tom. 1. Surij. *Cum post lauationem corporis ad illud induendum ventũ esset, inuenerunt in poplitibus genuum & brachiorum cubitis ob prolixam precum instantiam obduratam cutem*, &c.

Græcos etiam hac tempestate mortuorum corpora lauare, scribit Salomon Schvveigger, Lutheranus Prædicans, qui aliquandiu Constantinopoli vixit. Corpora tamen Monachorum non lauant Græci. οὐ δεῖ λούεσθαι τὸ σῶμα αὐτοῦ, ἀλλ' οὐδὲ ὁρᾶσθαι ὅλως γυμνόν. *Non oportet lauare corpus Monachi, aut prorsus nudum conspici*; inquit Euchologium Græcanicum. Quid ergo fit? ὁ εἰς τοῦτο τεταγμένος μοναχὸς ἀποσπογγίζει τὸ λείψανον μετὰ χλιαροῦ ὕδατος ἐν σπόγγῳ, ποιῶν πρῶτον μετὰ τοῦ σπόγγου σταυρὸν ἐν τῷ μετώπῳ τοῦ τελευτήσαντος, ἐν τῷ στήθει, καὶ ταῖς χερσὶ, καὶ ἐν τοῖς ποσὶ καὶ τοῖς γόνασι, καὶ πλέον οὐδέν. *Monachus ad hoc destinatus, spongia abstergit cadauer cum aqua tepida in spongia; efformans primò cum spongia crucem in fronte defuncti, in pectore, in manibus, in pedibus & genibus, & nihil aliud.* Idem ferè præscribitur de corpore Sacerdotis, nisi quod tres Sacerdotes illud ἀποσπογγίζουσι μετ' ἐλαίου καθαροῦ. *spongia oleo puro impleta abstergunt.*

Lib. 1. Hodæpor. cap. 64.

Alexium Imperatorem ab omnibus ferè ministris adeò desertum esse, Zonaras scribit, vt fermè nulli fuerint, qui cadauer ipsius postremis lauacris purgarint; vt referunt Centuriatores Magdeburgici Cent. XI. cap. 6.

Ad

Ad hunc lauandi morem respexit Sidonius, qui de Gotthis cæsos de suo exercitu sepelientibus ita scribit. *Quibus nec elutis vestimenta, nec vestitis sepulchra tribuebant.* Non enim poterant omnium cadauera vel lauare, vel funebri amictu induere, propter multitudinem. *Sidon. lib. 3. Epist. 3.*

Virorum exemplis adiiciamus exempla mulierum, quarum agmen ducat beata Tarsilla S. Gregorij libris & laudibus nobilitata; *cuius corpus cum ex more mortuorum ad lauandum fuisset nudatum, longo orationis vsu in cubitis eius & genibus, camelorum more, inuenta est obdurata cutis excreuisse.* *S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 16. & Hom. 38. in Euangel.*

Apud Gregorium Turonensem *vxor Hilarij Senatoris obiit atque abluta est.* Idem de Pelagia beati Aredij matre. *Abluta iuxta morem collocatur in Pheretro, atque in Ecclesiam deportatur.* Idem testatur idem Auctor de beata Pappula. Et Iacobus Vitriacus de Maria Ocgniacensi in vita eius. *Turon. lib. de gloria Confess. cap. 42. De glor. Confess. cap. 104. Cap. 17.*

CAPVT II.

A quibus corpora abluendi munus obitum.

MVNVS hoc lauandi plerumque obibant mulieres; præsertim in mulierum funeribus. Sic Pia fœmina, Britanniæ Ducissa, cadauer B. Vicentij abluit. Est cum & viri hoc supremo officio defunctos prosecuti sunt: Defunctos, inquam, hoc est, viros; nam sequioris sexus cadaueribus hoc officij genus impendere, Christiana honestas viris non concedit.

Caussæ huius moris variæ traduntur. Vna, eaque non

non ex infimis fuisse videtur, vt corpus vnctioni mox securutæ aptius foret; nam quæ vngi debent, præsertim magni pretij aromatis, ea prius purgare oportet, vt quo mundius est corpus, eo vnguentum in corporis meatus facilius illabatur, & puriorem odorem exhalet.

Christianos itidem hoc ritu, corpori, vt beatæ animæ tabernaculo, & aliquando ad æternam felicitatem insigni gloria resurrecturo, honorem habuisse, facilè mihi persuadeo; vt & illud, eos hac cæremonia exoptasse, vt sicut corpus ab omni macula per aquam emundatur, ita & anima iam membris exsoluta, beneficio sanguinis Christi ab omni labe emaculetur.

Neque ideo hæc lotionis consuetudo repudiari debet; quia tam Iudæis, quàm Ethnicis vsitata fuit: Nam si quidquid à Iudæis est, ideo præcisè reiici debet, quia à Iudæis venit, reiiciatur & Saluator noster, reiiciantur Apostoli, quia non aliunde, quàm ex Iudæis exstiterunt. Reiiciantur eloquentia & pleræque disciplinæ; quia apud Ethnicos quam maximè floruerunt, & hoc itidem æuo, vix nisi ex Ethnicorum libris hauriuntur.

CAPVT III.

De mortuorum vnctura.

Vide; quæ scripsi Tom. I. de S. Cruce lib. I. cap. 37.
Ioan. 12.



Ic mos ab Ægyptiis ad Iudæos, ab his ad Christianos venit; quem probat. I. vox illa Domini, quam edidit, cum Maria, *accepta vnguenti Pistici pretiosi libra, vnxit pedes IESV: Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Item illa: *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me,* &c. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum,*

Matth. 26.

Digitized by Google

meum, ad sepeliendum me, fecit. Quibus verbis adstruit Dominus hunc, de quo nobis sermo est, morem: Et quod valde obseruandum, vnctionem hanc sui corporis, quæ per anticipationem, funebris, &, vt ita loquar, sepulchralis fuit; *opus bonum* nominat. Si ergò vnctio hæc in capite Christo boni operis laudem & nomen tulit; cur in membris Christi, non censeretur bonum opus?

II. Christi corpus iam exanime vnguentis delibutũ fuit. Nam præter Iosephum ab Arimathia *venit & Nicodemus ferens mixturam myrrha & aloës, quasi libras centum: Acceperunt ergo corpus IESV & ligauerunt illud linteis cum aromatibus*, (vnctum aromatibus) *sicut mos est Iudæis sepelire.* Neque hac vnctione contentæ mulieres, Christi amantes discipulæ; *cum transisset Sabbatum emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM:* Eaque Marci 16. de caussa *valdè mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant aromata*, inquit S. Lucas, nulla alia de re sollicitæ, quam quomodo corpus magistri sui noua vnctione honestarent, & vel hoc supremo officio suam in eum beneuolentiam testatam Luc. 24. facerent.

III. Eandem vncturæ consuetudinem firmant non semel Prisci scriptores. Tertullianus Apologet. *Thura* Cap. 42. *planè non emimus.* Ita ex persona accusatoris obiicit Tertullianus, Respondet. *Si Arabia queruntur, sciant Sabai pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm Diis fumigandis.* Adhibebant ergo Christiani funeribus thus, aromata, & id genus alias Arabum merces.

Idem Tertullianus lib. de Resurrectione Carnis. *Proinde enim & corpora medicata condimentis* (hoc est, vn-

ſta & condita aromatibus) *ſepultura Mauſoléis & monumentis ſequeſtrantur.* Idem lib. de Idololatria. *Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoq; inſuper ad ſolatia ſepulturæ vſui ſunt* (aromata.)

S. Epiphanius Ioſephum ab Arimathia in ſepultura Chriſti occupatum alloquens, & pleroſque funebres ritus ex communi vſu enumerans, ait: *Nunquid vnguenta illi depromis & effundis, qui ſe totum exinaniuit, ſanctiq; Spiritus vnctione vniuerſum mundum ſanctificauit?*

Minuc. in Octauio. Minucius Felix inter crimina Chriſtianis obiecta. *Non floribus caput nectitis; non corpus odoribus honeſtatis: reſeruatis vnguenta funeribus.*

S. Gregorius in cap. 1. Canticorum. *Mortuorum corpora myrrha condiri ſolent.* Idem teſtatur Caſſiodorus in Cantica, vt Centuriatores citant Cent. 6. cap. 6.

IV. Idem mos eluceſcit ex antiquorum exemplis; nam his ſolenne fuit corpora defunctorum, præſertim Martyrum, vel aliâs vitæ ſanctimonia illuſtrium vnguentis & aromatis condire. Id teſtatum reddunt Acta Martyrum SS. Tharaci, Probi & Andronici; vbi Præſes Chriſtianæ huius conſuetudinis non ignarus ita alloquitur Tharacum. *Putas, quia muliercula aliqua corpus tuum habent aromatibus vel vnguentis condire iniquiſſime? nam de hoc eſt cogitatio, vt reliquias tuas perdam.* Et paucis interiectis: *Nonne ſic te perdam, & ſicut antea prædixi, & reliquias tuas, ne muliercula in linteamine corpus tuum inuoluant, & vnguentis & odoribus adornent? Sed, ſceleſte, iubebo te comburi, & cineres hoſce in ventum diſpergam.*

Apud Baron. Tom. 2. Anno Chriſti CC. XC.

Corippus lib. 3. vbi de funere Iuſtiniani Imperatoris: *Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis infundunt pateris & odoro balſama ſucco, centum alia ſpecies vnguentaq; mira feruntur tempus in æternum ſacrum ſeruantia corpus.* Eodem

Eodem respexit Prudentius his versiculis: *Candore nitentia claro pratendere lintea mos est, aspersaq; myrrha Sabao corpus medicamine seruat.*

Prudent. in Cathem. Hymno ad Exequias Defunct.

S. Gregorius Nazianzenus de Cæsario fratre suo. *At nunc hic quidem exanimis iacet, ab amicis inops, desertus, miserabilis, σμύρνης ὀλίγης ἠξιωμένος, exigua myrrha donatus, ac paucis & vilibus integumentis*, &c.

Nazian. Epist. 18. ad Sophronium.

Myrrham ad vnctarum & funera pertinere indicat etiam illud Martialis: *Et olentem funera myrrham.* Allusit eò Prudentius Hymno de Epiphania. *Regem Deumq; annunciant Thesaurus & fragrans odor thuris Sabai, ac myrrheus Puluis sepulchrū pradocent.* Eodem sensu explicantur hæc tria munera à sanctis Patribus. S. Greg. Homil. in Euang. de Epiphania. *Aurum Regi congruit, thus verò in Dei sacrificium ponitur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur; Eum ergo Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus pradicant, auro Regem; thure Deum; myrrhâ mortalem.*

Corpus S. Petri Martyris *delibutum ex more vnguentis* sepulturæ mandatum est; vt ex Actis eius recenset Baronius. Simili vncturâ antegressâ, tumulo illatus est sanctus Martyr Abibus Diaconus. Sepeliendo S. Meletio, Episcopo Antiocheno, à muliere pia & honesta suppeditatas fuisse sindones mundas, pannos sericos, vnguentorum & aromatum copiam scribit S. Gregorius Nyssenus. Corpus quoque S. HVGONIS Episcopi Lincolniensis balsamo & aromatibus delibutum terræ mandatum est, vt in eius vita refertur. Dagoberti Regis corpus conditum aromatibus *sepultum est in Ecclesia S. Dionysij*, inquit Aimoinus.

Bar. Tom. 3. Anno CCC. X. N. 10.

Bar. Tom. 3. Anno CCC. XVI. N. 52.

Nyssen. orat. in fun. Meletij. Tom. 6. Surij.

Aimoinus li. 4. cap. 33.

Ad morem condiendi Martyrum corpora allusit Eunapius in Vitis Philosophorum, in Aedesio propè

extremo; Etsi conuicium eius acerbius est, quàm vt à Christianis auribus tolerari queat, *ij condita & salita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem à iudicibus extremo supplicio fuerant affectio, pro diuis ostentabant.*

Exstat inter opera eius.

Ex Christiana submissione vetuit S. Ephræm in suo Testamento, corpus suum aromatis condiri. Corpus Caroli Magni *aromatizatum est*, inquit Monachus Engolismensis in vita Caroli Magni, *& in sede aurea sedens positũ est, in curuatura sepulchri, ense aureo accinctus, Euangelium aureum tenens in manibus & genibus, reclinatis humeris in cathedra, & capite honestè erecto ligato aurea catena ad diadema: Et in diademate lignum sanctæ Crucis positum est.*

Tom. 1. Iuris Græco Rom. lib. 5. fol. 373.

In Ægypto, præsertim Alexandrinorum regione, mos inualuerat, *vt mortui Sacerdotes & Pontifices sacro vnguento*, (διὰ τοῦ ἁγίου μύρου,) hoc est, Chrismate, *vngerentur.* Detulit hanc consuetudinem ad Theodorum Balsamon Marcus Patriarcha Alexandrinus, sciscitans num licita esset. Respondet Balsamon: οἱ διὰ μύρου χρίοντες τοὺς τελευτῶντας ἱερεῖς καὶ ἀρχιερεῖς ἢ ἑτέρους τινὰς καὶ οὕτως ἐνταφιάζοντες, μεγάλης εἰσὶ κολάσεως ἄξιοι, ἢ ὡς καταγινώσκοντες τῶν βαπτισάντων ὀρθοδόξων αὐτοὺς, ἢ ὡς μὴ πληροφορίαν ἔχοντες ἐντελῆ τοῖς ὀρθοδόξοις εἶναι τούτους κοινωνοὺς, καὶ πρὸ κατακρίσεως κατακρίνοντες. *Qui vnguento*, (hoc est Chrismate, cuius in Baptismo & Confirmatione vsus est) *mortuos Sacerdotes & Episcopos, aut alios quoscunq; vngunt, & ita sepeliunt, magna pœna digni sunt, vel quia orthodoxos, à quibus baptizati sunt, contemnunt* (quasi nimirum in baptismate sacro Chrismate eos legitimè non inunxissent) *vel quia hæsitant, num tales cum rectè sentientibus communionem habuerint: Et ita ante damnationem sententiam damnationis ferunt.*

CAPVT

CAPVT IV.

De caussis huius vnctionis.



CAVSSÆ huius vnctionis multiplices redduntur. Vna est; vt corpora animæ iam exsortia diutius à corruptione conseruarentur. Hinc ea præcipuè vnguenta adhibita sunt, quæ hac vi præseruatrice prædita erant; in quibus myrrha, veterum scriptis non semel ob hanc dotem deprædicata.

Quapropter corpora aliquando exenterabant, vt exemptis illis sordium & humorum receptaculis, ab omni putredine remotiora & securiora euaderent: quod & hodie in Regum, Principumque cadaueribus obtinet. Hoc tamen de Christo Redemptore nostro, cum sepeliretur, vel suspicari, grande nefas foret, vt alibi monui. Tametsi sancti Patres, & scripturæ Interpretes verisimile credunt, Iosephum Arimathiensem, Nicodemum, & pias illas mulieres, ideo de corpore Christi vnguendo tam sollicitas fuisse, quòd mysterium Resurrectionis mox mox secuturæ, nondum, aut saltem obscurè, & quasi per nebulã, cognouissent: licet summus earum in Christum amor, & singularis obseruantia eas ita vrgeret ac inflammaret, vt neque sumptibus, neque laboribus parcerent. Nam hoc vnctionis genus ex amore & honore erga mortuos, & in ipsamet corpora, tanquam animarum, Christi sanguine redemptarum, habitacula, ex puluere ac cineribus terræ olim excitanda, processisse, Prisci scriptores monent; *Venient citò secula*, vt canit Prudentius, *cum iam Socius calor ossa reuisat, animataq́; sanguine viuo habitacula pristina gestet.* Prudent. Cathem. Hym. X.

Quæ pigra cadauera pridem tumulis putrefacta iacebant volucres rapientur in auras animas comitata priores. Hinc maxima cura sepulchris impenditur, hinc resolutos honor vltimus accipit artus, & funeris ambitus ornat, &c. Quid nam sibi saxa cauata? Quid pulchra volunt monumenta? Res, quòd nisi creditur illis, non mortua, sed data somno. Hoc prouida Christicolarum pietas studet, vtpote credens fore protinus omnia viua, quæ nunc gelidus sopor vrget.

Qui corpora olim condiebant & vngebant *pollinctores* nominabantur; cur & vnde, necdum inter doctos conuenit. Lege Lorinum nostrum in cap. 9. Act.

Porrò licet negandum non sit, vnctionem, & alia quæ ars cadaueribus adhibet, non parum momenti ad arcendam putrefactionem, dissolutionem ac dissipationem corporum conferre; vt & ipsam vniuscuiusq; constitutionem seu complexionem; quod tam Ethnicorum, quam Christianorum exempla clarum faciunt; attamen huiusmodi incorruptionem, & quidem aliquando plurium sæculorum, solis caussis naturalibus transcribere velle, seclusa omni extraordinaria diuini numinis ope & operâ, id Christiano pectore non adeo dignum est facinus, præsertim, cum multorum pietate præstantium cadauera corruptionis expertia manserint, quibus non modò ars nihil, quod corruptionem arceret, adhibuit, sed ne ea quidem, quæ resolutionem totius structuræ iuuant & promouent, omissa sunt, ex quibus vnum defossio sub terra; & iniectio humi. Cuius generis varia exempla commemoraui in secunda & tertia Apologia pro vita B. P. N. IGNATII, contra Misenum Caluinistam, qui calumniis incessiuerat, quę de corpore incorrupto B. P. Xauerij, Indorum & Iaponiorum Apostoli, Ribadeneira litteris mandauerat.

Lib. 4. cap. 1.

Eius-

Eiusdem sortis exempla collegit nuper *Kornmannus* in suo syntagmate *de miraculis mortuorum parte Tertia:* quorum vnum de Catharina Bononiensi; Alterum, de S. Theodupho ex Cantipratensi lib. 2. Miraculorum c. 53. §. 2. Tertium, de S. Lamberto. Quartum, de S. Lucia, ex Itinerario Breidenbachij. Quintum, de S. Euphemia, ex eod. Breidenbachio. Sextum, de B. Antonio. Septimum, de B Gaudentio. Octauum, de aliquot innocentibus infantulis ab Herode trucidatis, ex Cantipratensi lib. 2. cap. 53. § 2. Nonum, de duobus Gregoriis Byzantino altero; altero Pharonite ex Prato spirituali Sophronij cap. 121. Decimum, de B. Sororio.

Nec integra solummodo sanctorum corpora corruptionis expertia perstiterunt; verum etiam partes quorundã cælitum; vt digitus S. Ioannis præcursoris. Oculus B. Ludouici seu Leudomiri, de quo Cantipratensis lib. 2. cap. 36. §. 33. Brachium S. Georgij, Manus S. Osvvaldi Regis Anglorum; vt similia prætercam. Quæ certè, si penitius secundum omnes conditiones inspiciamus, fatebimur non inuiti, maius quiddam in his inesse, quàm quod naturæ viribus perfici queat: Idem dicendum de digitis periurorum, & manibus, quas impij filij in parentes iniecerunt, si alicubi incorrupta exstant, vt quidem exstare, allatis exemplis Kornmannus docet.



CAPVT

CAPVT V.

Mortui vestiti.



VESTITIO hæc duplex fuit: Interdum enim solo linteo seu sindone corpora inuoluebãtur; Interdum verò, viuentium instar, induebantur & ornabantur. Prior modus in Christi sepultura obseruatus fuit. Nam Ioseph, Nicodemus, & alij, *acceperunt corpus IESV, & ligauerunt illud linteis* Ioan. 11. *cum aromatibus, sicut Iudæis mos est sepelire*; Ex quo more, alibi, nempe in descriptione funeris Lazari, nobis patefacto, discemus quoque faciem domini Sudario fuisse tectam, & manus pedesque ligatos *institis*; nam de Lazaro, qui vtique ex præscripto Iudaicæ consuetudinis sepultus fuerat, ita Euangelista. *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus, pedes & manus institis, & facies eius sudario erat ligata.*

Cap. 15. Quamuis autem S. Marcus de Iosepho dicat: *Ioseph autem mercatus Sindonem, & deponens eum inuoluit Sindo-* Cap. 27. Cap. 23. *ne*; similiter S. Matthæus, & S. Lucas; attamen S. Ioannes non singulariter *Sindonem*, sed plurali numero Cap. 19. & 20. *lintea* & *linteamina*, Græcè ὀθόνας, nominat. *Cum se inclinasset*, inquit S. Ioannes de seipso, *vidit linteamina posita, & Sudarium, quod fuerat super caput eius*, (en expressam Sudarij mentionem, vt in funere Lazari) *non cum liteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.*

Cum autem S. Ioannes expresse dicat, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις, seu vt alij legunt ἐν ὀθονίοις, *ligarunt corpus in linteis* seu *linteaminibus*, apparet fascias quoque sepulchrales seu institas adhibitas fuisse, quemadmodum in funere Lazari; neque enim vel linteis, vel sudario corpus & caput

caput Christi commodè velari & obnubi potuissent, nisi vinculorum interuentu: quia credibile non est Iudæis fuisse eum morem, qui hodie est Germanis, vt cadauer in linteum insuant: Et obstat verbum ἔδησαν, *ligauerunt illud*: quod *Suturam* nostram excludit.

Ad eundem modum sine vestimentis, soleo linteo, sepulti alij; vt Christiani illi apud Eusebium, sæuiente peste, quos, præter cætera humanitatis officia, *linteo funebri inuoluere non grauati sunt*. Sic & cadauer Abibi Martyris pretioso linteo inuolutum est. Allusit huc Prudentius: *Candore nitentia claro prætendere lintea mos est*. S. Athanasius in vita S. Antonij. *Mos Ægyptiis est nobilium, & præcipuè beatorum Martyrum corpora linteamine obuoluere*: Et discipuli S. Antonij, *inuolutum* Magistri corpus *humo operuerunt*. Apud S. Hieronymum Epist. 49. *Clerici, quibus id officij erat; cadauer cruentum* (mulieris septies percussæ) *linteo obuoluunt*.

Euseb. lib. 7. cap. 17.

Bar. Tom. 3. Anno 316.

Prudent. Hymn. 10. Cathemer.

Vestitionis posterioris plurima passim occurrunt exempla: Et quidem talia, quæ indicant, quemlibet defunctum vestibus suo statui consentaneis amiciri consueuisse. S. Petrum Episcopum Alexandrinum & Martyrem, *Fideles vestierunt vestibus sacerdotalibus albi coloris Collobio & Omophorio*,

Refert Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum, Eutychianum Papam decreuisse, *vt quicunque Fidelium Martyrem sepeliret, id sine Dalmatica, aut Collobio purpurato nullatenus faceret*. Quid sit Dalmatica & Collobium, seu Colobium disces ex Onuphrio in libello, quo voces Ecclesiasticas obscuras explanat. *Omophorion* ad verbum, *humerale* est: vox in Græcorum monumentis vbique obuia.

Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, iam vita functum, *domestici Pontificalibus induunt*, & sacrum *humerale Fratris Domini* (Iacobi Apostoli) *super eum collocant, quod paucis annis antè Hierosolymis sibi missum, tanto habebat honore ac veneratione, non secus, ac si videret in eo ipsummet S. Iacobum Magnum Apostolum.*

S. Antonius pallio corpus B. Pauli primi Eremitæ obuoluit, obuolutumque terræ mandauit, teste S. Hieronymo de vita S. Pauli.

De Ansberto Rothomagensi Episcopo, qui Anno Redemptoris DC. LXXXII. floruit, ita scribit Angradus Monachus in vita eius. *Sanctum illud corpus magna fidei ambitione vestitum est, ac desuper linteis ceratis obuolutum; quia ipse prædixerat hoc sibi à Domino impetratum esse, vt ossa sua in prædictum Fontanellense cœnobium tumulanda deferrentur. Sicut enim sanctis altaribus Christi assistere consueuerat, ita indui eum fratres curarunt. Sed cùm sudarium cera litum capiti eius imponere vellent, visus est aperuisse oculos, effigiē præferens viuentis, ita vt aliqui dicerent, eum esse rediuiuum. Nam adspectus faciei multùm erat roseo perfusus colore. Quidam verò dicebant, pro sudario cera imbuto quasi indignatum esse. Viderunt enim non sine sua gloria, gloriam Dei in sancto suo triumphantem. Nam & illa exequiarum religio, fidei deuotio erat, &c.*

Tom. 1. Sur.

Quod Auctor iste de linteis ceratis recenset, reuocat mihi in memoriam, quod iam à Kirchmanno lib. 1. de funeribus Romanorum, obseruatum est: nimirum Persas mortuorum cadauerá cera obleuisse. Herodotus lib. 1. *καταϰηρώσαντες δὴ ὦν τὸν νεκρὸν πέρσαι, τῇ γῇ κρύπτουσι. Persæ mortuum cera oblitum terræ mandant.* Cicero lib. 1. Tuscul. *Persæ iam cera circumlitos condiunt, vt quàm maximè permaneant diuturna corpora.* Strabo lib. 15. *θάπτουσι δὲ κηρῷ*

κηρῷ περιπλάσαντες τὰ σώματα, ſepeliunt (Perſæ) cadauera cerâ oblita. Aemylius Probus de Ageſilao. *Quòd mel non habebant, cerâ circumfuderunt, atq; ita domum retulerunt.*

Huc facit inſigne exemplum, quod in S. Vdalrici vita, incerto Auctore, cap. 27 proditum legimus. *Ea verò nocte Hiltegart vxor præfati Richuuini Comitis, quamuis nupta, tamen ſatis religioſa*, venit, *camiſaleq; cera perfuſum attulit, & ſublimiſſimos Clericos petiit, vt ſacro corpori cautè ſecretò circumdaretur, ne ſacerdotalis paratura, qua indutus erat, citò à terra conſummaretur, quia ipſe adhuc viuens præcepit, ne tabulatum ligneum corpori eius ſuppoſuiſſent, ſed pura terra imponerent, & ligneo operculo coöperirent*; qui ſecundum eius petitionem *camiſale corpori ſacro circumdederunt*. Ex hac relatione intelligis, qua de cauſſa linteis ceratis ſeu cerâ oblitis, corpus S. Anſberti inuolutum fuerit; & quidem ſupra alias veſtes; vt & in funere S. Vdalrici contigit.

S. Poppo Abbas iam exanimis, *Sacerdotalibus infulis, vt ſacris adſtare altaribus ſolebat, veſtitus eſt. Alba etiam caſubula* (caſula) *ſanctum illud corpus fratres curabant veſtire, cuius omnia felicius in cæleſtibus inter amictos ſtolis albis primam meruit ſtolam inuenire.* Tom. 1. Surij.

S. Gallus Epiſcopus Aruernenſis *ablutus & veſtitus in Eccleſiam defertur.* Defuncto ſancto Lupicino *adfuit quædam matrona, quæ ablutum dignis induit veſtimentis*: vt idem Turonenſis ſcribit. Similia memorat de S. Martio Abbate, de S. Leobardo Recluſo. Chilpericus Sigebertum fratrē ſuum *veſtitū apud Lambras vicum ſepeliuit*: Chilpericū ipſum poſtea interfectū, Malbuſus Syluanectenſis Epiſcopus, *ablutū veſtimentis melioribus induit,*

Tom. 4. Surij. Ex Turon. lib. de Vitis Patrū cap. 3. Cap. 7. 8. 12. Turon. lib. 4. Hiſt. cap. vlt. Lib. 6. cap. vlt.

Lib.7.cap.1. *& in Basilica S.Vicentij,quæ est Parisiis sepeliuit.* Saluij Episcopi vitam Monachi *aqua diluunt, vestimentis induunt, & feretro superponunt,atq; in psallentio fletuque labentem exigunt noctem.* Qui cum grandi miraculo reuixisset, & tandem iterum ad extrema peruenisset, *ipse sibi sarcophagum composuit,corpus abluit,vestem induit, & sic intentum semper cœlo beatum spiritum exhalauit.* Marianum Eremitam, *ablutum digniq; indutum vestibus sepelierunt in Ecclesia.*

Lib 2. de Vita S.Germ.cap. 22. Tom.4. Surij. Euseb lib.4. de Vita Constant. cap.66.

S.Germani Episcopi Antisiodorensis corpus *Achelius aromatum constrictione solidauit, Regina vestiuit*, vt scribit Constantius. Constantini Magni Imperatoris cadauer vndique purpurea veste contectum, Constantinopolim transferunt, vt Eusebius Auctor est.

Corpus Caroli Magni defuncti, *vestitum est vestimentis imperialibus,& sudario sub diademate facies eius operta. Cilicium ad carnem eius positum est, quod secretò semper induebatur; & super vestimentis imperialibus pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat. Sceptrum aureum & scutum aureum, quod Leo Papa consecrauerat,ante eum posita sunt dependentia. Et clausum & sigillatum est sepulchrum eius*, vt ait Monachus Engolismensis in vita Caroli Magni.

Beda lib.4. Hist. Eccles. Angl.cap.30.

S. Cutberti Episcopi Lindisfarnensis corpus vestitum sepulturæ mandatum est; Et post vndecim annos, reserato tumulo, *vestimenta omnia, quibus indutum erat* cadauer, *non solùm intemerata, verumetiam prisca nouitate & claritudine admiranda apparebant*: quorum *indumentorum*, quæ *corpus sanctum ambierant*, partem, detulerunt Eadberto successori Cutberti; *quæ cum ille gratanter acciperet,& miracula libenter audiret, (nam & ipsa indumenta quasi patris adhuc corpori circũdata,miro deosculabatur*

labatur affectu) noua, inquit, *indumenta, corpori, pro his, quæ tulistis, circumdate, & sic reponite in arcam, quam parastis*, &c. *Fecerunt fratres, vt iusserat, & inuolutum nouo amictu corpus, nouaq; in theca reconditum supra pauimentum sanctuarij posuerunt.*

Aliquando aureis vestibus mortuos amiciebant contra quos D. Hieronymus ad calcem de vita S. Pauli Eremitæ: *Cur & mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lachrymasq; non cessat? An cadauera diuitum, nisi in serico putrescere nequeunt?*

Cæterum nescio, quid pro hoc more vestiendi defunctos illustrius adduci queat, quàm quod à S. Gregorio Nysseno in vita B. Macrinæ sororis suæ proditum est; cuius hac de re cum Vestiana collocutionem & consultationem hîc ipsius beati Patris verbis commemorare placet, præsertim cum inde omnes propemodum ritus funebres clari ac manifesti euadant: paucos enim hæc Nysseni oratio præterit, quos non attingat. *Nunc quidem inuidiosum non erit, si defunctæ splendidiorem adiecerimus ornatum, & puram illam immaculatamq; carnem clarioribus vestimentis induerimus. At illa, intelligere respondit oportere, quidnam illi sanctæ in hoc genere probatum foret. Nihil enim à nobis geri fas esse, contra voluntatem ipsius. Omninò autem, quod Deo gratum acceptumq; esset, idem ei iucundum futurum.*

Erat quædam præfecta Virginum choro in ministerij gradu, nomine Lampadia, quæ sententiam eius de funerum pompis se planè scire dicebat. Hæc à me his de rebus interrogata (fortè enim intererat consultationi) cum lachrymis respondens; Integrè & purè viuendo, inquit, sancta sibi ornamentum parauit, quod & vitam ipsius decoraret & sepulturam. Nam, quod ad corporis ornatum spectat, nec dum viueret ac-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cepit, nec in hunc vsum reseruauit. Quare, ne si velimus quidem, amplius licet, cum ad hanc rem non suppetat apparatus. Nihilne, inquam, reconditum est, quo iusta & exequia possint adornari? Quid, inquit illa, reconditum narras? Quidquid reconditi est, in manibus habes: ecce pallium, ecce capitis tegmen, & trita pedum calceamenta. Hæ sunt opes, hæc supellex. Nihil præter id, quod cernis, in arculis aut thalamis conditum latet. Vnam diuitiarum suarum cellam nouerat, thesaurum cælestem; illic omnia collocauit, nihil reliquit in terra. Tum ego: Quid, inquam, si ad funus ornandum ex iis, quæ mihi parata sunt, aliquid proferam, num inconsultè factum existimabit? Id præter sententiam eius futurum, se non arbitrari, respondit. Nam etsi, inquit, viueret, duabus de causis non repudiaret honorem tuum; vel, propter sacerdotij dignitatem, quam semper venerata est: vel, propter naturæ necessitudinem, neque enim alienum duceret id, quod à fratre esset. Idcirco manibus etiam tuis corpus vt curaretur, mandauit.

Cùm igitur ita visum esset, & sacrum illud corpus tegi vestibus oporteret, studium inter nos diuidentes circa ipsam, alius aliud cogitabamus. Et ego quidem iussi cuidam ex meis, vt vestem afferret; Illa verò, quæ de mentionem fecimus, Vestiana, propriis manibus ornans sanctum illud caput, cum eius ceruici manum submisisset; Ecce, inquit, ad me respiciens, quale è collo sanctæ monilis ornamentum pendet? Et hæc dicens, solutis ponè vinculis, prætendit manu ferreum Crucis signum, & annulum quendam ex eàdem materiâ. Quæ quidem vtraq; cordi semper adhærebant. Et ego; Communis, inquam, sit hæc possessio. Ac tu quidem habeas Crucis insigne: mihi autem hæreditas annuli satis erit: siquidem in huius etiam pala Crux erat impressa. At eum mulier intuens, rursus ad me; tu deligendo, inquit, non aberrasti. Etenim excauatus

est

Digitized by Google

est annulus sub ipsa pala, ibiq́; de ligno vitæ particulam conditam habet, quod superadiacens pala simili nota significat.

Cæterùm, cùm tempus posceret, vt castum corpus veste tegeretur, quod quidem officium ex Magna mandato ad me pertinebat necessariò; cumq́; præsens esset, ac simul contrectaret ea, quæ mecum magnæ illius hæreditatis particeps fuerat: Ne prætermiseris, inquit, intueri rei admirandæ ab hac sancta perfectæ magnitudinem. Quidnam istuc est, inquam? At illa pectoris partem denudans; Vides hoc, inquit, tenue & obscurum sub collo signum? Videbatur autem puncto simile tenui acu confecto: simulq́; lucernam propius admouit ad locum mihi demonstratum. Quidnam, inquam, admirandum, si tenue signum in hac parte est? Et hoc, inquit, diuini auxilij in magnam Macrinam monumentum, in eius corpore relictum est. Etenim cùm acerbè intumuisset olim hæc pars, & periculum esset, ne tumor secandus esset, aut ne latius serpens malum, fieret immedicabile, si ad loca cordis appropinquasset, rogauit sæpius, & obsecrauit mater, vt medici manum admitteret: & eam namq́; artem à Deo pro salute hominum ostensam esse. Illa verò, cum aliquam corporis partem alienis oculis aperire morbo ipso grauius iudicaret, ad vesperam, cùm solitam matri propriis manibus nauasset operam, in sacellum sanctissimum ingressa, totam noctem prostrata, curationum Deo supplicauit; &, quæ ex oculis defluebat, aquam cum terra commiscens, lachrymarum lusum, morbo medicamentum adhibuit. Matri autem exanimatæ, hortantiq́;, vt medico vteretur, sibi ad expellendum morbum satis esse respondit, si manu sua mater ipsa locum sancto signo muniret. Quum igitur mater in sinum eius manum intulisset, vt eam partem signaret, signum quidem egit, morbus autem abiit. Sed hæc parua nota, loco horribilis tumoris apparuit,

Digitized by Google

paruit, & ad finem vsq; permansit, vt esset, quemadmodum arbitror, diuinæ opis indicium, quo ad agendas gratias Deo continenter moueretur.

Posteaquam studio nostro finem imposuimus, & ex domesticis copiis corpus exornauimus, non decere dixit ministra illa, corpus ad sponsæ similitudinem ornatum ante virginum oculos poni. Sed est, inquit, mihi ex vestra matris vestimentis nigrum pallium, quod rectè, vt ego quidem sentio, poterit superiniici, ne externo & aduentitio isto vestitus ornatu, sacra hac pulchritudo infuscetur. Quæ sententia cum valuisset, & pallium adiectum esset, ipsa tamen in amictu pullo, diuina, vt arbitror, potentia & hanc corpori addente gratiam, ita splendebat, vt quemadmodum in quiete visum ostenderat, radij quidam ex eius pulchritudine planè elucere viderentur. Hæc S. Gregorius Nyssenus.

Ex cuius verbis apparet, mortuos etiam splendidis vestibus indutos; quia tamen verebantur, ne intuentium Virginum oculi offenderentur, si Virgo vili habitu semper vsa, nunc exanimis, præter morem, vestitu tam conspicuo spectanda exhiberetur; pullum pallium superiniecerunt: nam & alia exempla suppetunt, quibus docemur, vestibus pretiosis vel lintea vel similia indumenta funebria superaddita. Eusebius de Asterij pietate in Marinum Martyrem. *Asterius vir è senatorum Romanorum numero,* &c. cum Martyri (Marino) *ipso mortis articulo præsto adesset, simul atq; è vita migrarat, cadauer tollit, splendida & pretiosa obtegit veste: atque humeris impositum, inde deportat. Quod cum magnifico & sumptuoso linteo inuoluisset, decenti sepulchro condidit.* vt taceam nunc exempla prius recensita de linteis ceratis, quibus licet antea iam vestita corpora aliquando induebantur, vt à corruptione eò diutius conseruarentur.

Euseb. lib. 7. Hist. Eccl. c. 14.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quis mos Græcis, Germanis, aliisque nonnullis in vestiendis & ornandis mortuis.



QVOMODO Græci mortuos Monachos vestiant, in Euchologio declaratur. φέρει καθαρὸν ἱμάτιον, καὶ ἐνδύει αὐτὸν, πρότερον ἐκβληθέντος τοῦ παλαιοῦ, μηδαμῶς τὴν γύμνωσιν αὐτοῦ θεασάμενος. μετὰ τὸ ἐνδύσασθαι περιβάλλει αὐτὸ τὸ κουκούλιον, περιθεὶς τὴν περικεφαλαίαν ἄνωθεν τῆς κεφαλῆς, καὶ καταβιβάσας αὐτὴν μέχρι τοῦ πώγωνος ὥστε μὴ ὁρᾶσθαι τὸ πρόσωπον τοῦ λειψάνου, εἶτα περιτίθησιν αὐτῷ τὸν ἀνάλαβον, καὶ τὸ παλλίον, καὶ περιζώννυσι λῶρον, καὶ ὑποδύει αὐτῷ σανδάλια καινά.

Allata munda veste induit eum, exuto prius vetere, nuditatem eius nequaquam conspicatus. Postquam vestiuit, cucullum ei imponit, capucio supra caput posito, & usque ad barbam detracto; ne facies cadaueris videatur. Deinde analabum ei circumponit, & pallium, loroque cingit, & nouos calceos induit, &c.

De sacerdote mortuo idem Euchologium. ἐνδύουσιν αὐτὸν τὰ ἐξ ἔθους ἱμάτια, εἶτα τὴν ἱερατικὴν, τὴν ἅπασαν, καὶ σκεπάζουσι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ μετὰ τοῦ ἀέρος, καὶ τιθέασι τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον ἐπάνω αὐτοῦ. *Induunt illum consuetis vestibus: deinde omni sacerdotali habitu: faciemque eius velant aëre*, hoc est, velamine, quo in Missa τὰ ἅγια, *sancta*, hoc est, materia, panis scilicet & vinum, ad futurum sacrificium, tegebantur: *& sacrum Euangelium super ipsum ponunt.* Sæculares seu Cosmicos, vt Græci appellant, mortuos, efferunt iidem Græci ad sepulturam, pretiosissimo amictu indutos, vt scribit in suo Hodœporico Lutheranus Prædicans Schvveiggerus; addens; eorundem facies pig- *Lib. 2. cap. 64.*

D mentis

mentis illini, vt viuentium formam habitumque fermè ad viuum referant.

Tota hæc vestitionis cæremonia proficiscitur ab amore erga defunctos, studioque honorandi corpora insigni aliquando gloria illustranda, cum ex puluere terræ excitabuntur; nam, vt præclare dixit S. Augustinus, *non sunt contemnenda & abiicienda corpora defunctorum, maximè iustorum atq; fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tanto charius posteris, quanto ergà parentes maior affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtiq; multo familiarius atq; coniunctius, quam qualibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent: vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa, ipsiq; dum viuerent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandauerunt.*

S. August. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 13.

Germani plerumque mortuos linteis obtegunt vel insuunt; exceptis tamen sacerdotibus, quos vt plurimum sacerdotali amictu ornatos, terræ mandant. Solent iidem Germani candido linteo infantes iamiam baptismatis salutari vnda tinctos amicire: cum ergo mortuos quoque simili vestitu exornent, occasionem inde sumpsit Lutherus declarandi nobis, quàm in mysticis cæremoniarum rationibus eruendis solers sit ac probè versatus. Id vt videas, adscribam natiua eius verba ex consilio quodam eius, Parocho cuidam dato, quo ritu mulier Iudęa baptizari debeat.

Exstat Tom. 5. Ien. Germ.

Daher halte ich/sey der alte Brauch vnd Gewonheit bißher in der Kirchen blieben/daß man nach der

Tauff

Tauff den Kindlein (die man nackendt ohn alle Schew tauffet) ein Westerhembd / vber den Leib wirfft/nemblich/das im Anfang derChristenheit alle Christen / mit dergleichen Kleyd bedeckt / getaufft sind worden. Daher noch vberig ist / daß der nehesste Sontag nach Oestern (Quasimodogeniti) noch heutiges Tags/Dominica in Albis genandt wirdt. Derhalb / daß sie dasselbe Kleid oder Westerhembd von der Tauff an / die gantze Wochen vber getragen haben.

Zu dem bekleidet man auch die Todten/ mit einem Weissenkleid oder Sterbküttel / dabey vns zuerinnern vnser Tauffe / durch welche wir sampt Christo in den Todt begraben sind / ꝛc. Das also beyde durch die Tauffe/vnd den Tode/die Aufferstehung der todten bedeutet vnnd angezeigt wirdt / weil die Tauffe nichts anderst ist/denn ein Gang durch den Todt in das zukünfftige ewige Leben.

Vnde, opinor, veterem consuetudinem in Ecclesia hucusq; perdurasse; vt post baptismum infantibus (qui citra respectum aliquem baptizantur nudi) indusiolum chrismatis super iniiciatur: nimirum ex eo, quia & ab Ecclesia primordio, Christiani omnes, alba veste induti, baptizati sunt. Vnde itidem proxima Paschalibus feriis Dominica, (Quasimodogeniti) *etiamnum Dominica in Albis dicitur; ea de caussa; quòd vestis illa baptismatis alba, tota hebdomada à baptismi candidatis ferretur.*

Adhac vestiuntur etiam mortui, alba quadam veste, seu tunica mortuali; idq; eo fine, vt memores simus baptismi nostri, quo Christo in mortem consepulti sumus, &c. adeò vt tam per baptismum, quàm mortem resurrectio mortuorum denotetur & significetur: quippe cum baptismus nihil sit aliud,

quàm transitus per mortem in vitam æternam. Si hæc alicui non prorsus absona apparent, is vetus illud in memoriam reuocet; aliquando olitorem quoque opportuna loqui.

Neque illud prætermittendum, aliquando cum defunctorum corporibus res pretiosas, aurumque & argentum in sepulchrum illatas vel iniectas fuisse. Monachus Engolismensis de sepulchro Caroli Magni. *Repleuerunt sepulchrum eius aromatibus, pigmentis, & balsamo, & musco, & thesauris multis in auro.*

In Vita Caroli edita à Pithœo.

Scribit Baronius Anno CCC. XCV. ex Maffeio Vegio, in sepulchro clarissimorum coniugum Probi & Probæ Falconiæ, temporibus Nicolai V. *auri magnam copiam ex aureis vestibus, aliisq; sepulchralibus ornamentis inuentam fuisse.*

Sed hic mos furibus illecebra fuit violandi & effringendi sepulchra; teste etiam S. Hieronymo, in caput VIII. Hieremiæ. *Quia solebant* (Iudæi) *iuxta antiquum morem, aurum & quædam ornamenta vel mulierum vel virorum in sepulchris condere, hæc quoq; frangebat & effodiebat auaritia, vt cælo & luci proderentur.* Huius rei luculentum exemplum exstat apud Gregorium Turonensem. *Ante paucos dies mortua propinqua vxoris eius* (Bosonis Gunthchramni) *sine filiis in Basilica vrbis Metensis sepulta est cum grandibus ornamentis & multo auro. Factum est autem, vt post dies paucos adesset festiuitas beati Remigij, quæ in initio mensis Octobris celebratur. Descendentibus autem multis è ciuitate cum Episcopo, & præsertim senioribus vrbis cum duce, venerunt pueri Bosonis Gunthchramni ad Basilicam, in qua mulier erat sepulta, ingressi, conclusis super eos ostiis, detexerunt sepulchrum, tollentes & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti, quæ reperire potuerunt.*

Turon. lib. 8. Hist. cap. 21.

Vt

Digitized by Google

Vt autem fures ab huiusmodi sacrilegiis absterrerentur, pretiosas itidem vestes, quibus mortuos amicire volebant, lacerabant, ne sepulchrorum effossores & violatores allicerent. Testis Origenes lib. 1. in Iob. in illud cap. 1. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua*, &c. *Scidit vestimenta sua, ac si diceret ad ipsos aduersarios nequissimos: O maligni atque iniqui aduersarij, mortuum me æstimatis, vt vos putatis, & vt vobis videtur, in terram me sepelire præparatis. Si ergo me mortuum æstimatis, ô inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam, conscindere pretiosas atque regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eas possidentes. Puto, quòd ex illo consueuerunt homines, cum pretiosam sepulturam cuilibet miserint, conscindunt eam, ne aliqui scelesti & ipsum corpus proiiciant, & ipsam pretiosam sepulturam possideant. Sepulturam* vocat Interpres vestimentum, ad sepulturam adhibendum. Eundem lacerandi morem paulò post ex sancto Chrysostomo audies.

Aperuit quoque Otho III. Imperator sepulchrum Caroli Magni, non vt furax harpago, sed vt certior efficeretur, num eo in loco, in quo sepultus ferebatur, verè sepultus esset. Accipe verba Ditmari. *Reuersus Aquisgranum Caroli Cæsaris ossa vbi requiescerent, cum dubitaret, rupto clam pauimento, vbi ea esse putauit, fodere, quousque hæc in solio inuenta regio, iussit. Crucem auream, quæ in collo eius pependit, cum vestimentorum adhuc imputribilium parte sumens, cætera cum magna veneratione reposuit.* Vbi vides non tantum diadema Caroli Magni Cruce fuisse insignitum; sed & alteram de collo suspensam.

Vetitum porro iam olim Romanorum legibus fuit, ne in sepulchrum quidquam iniiceretur, quod ad ornatum corporis defuncti non pertineret. *Non oportet*

Digitized by Google

quàm transitus per mortem in vitam æternam. Si hæc alicui non prorsus absona apparent, is vetus illud in memoriam reuocet; aliquando olitorem quoque opportuna loqui.

Neque illud prætermittendum, aliquando cum defunctorum corporibus res pretiosas, aurumque & argentum in sepulchrum illatas vel iniectas fuisse. Monachus Engolismensis de sepulchro Caroli Magni. *Repleuerunt sepulchrum eius aromatibus, pigmentis, & balsamo, & musco, & thesauris multis in auro.*

In Vita Caroli edita à Pithœo.

Scribit Baronius Anno CCC. XCV. ex Maffeio Vegio, in sepulchro clarissimorum coniugum Probi & Probæ Falconiæ, temporibus Nicolai V. *auri magnam copiam ex aureis vestibus, aliisq; sepulchralibus ornamentis inuentam fuisse.*

Sed hic mos furibus illecebra fuit violandi & effringendi sepulchra; teste etiam S. Hieronymo, in caput VIII. Hieremiæ. *Quia solebant* (Iudæi) *iuxta antiquum morem, aurum & quædam ornamenta vel mulierum vel virorum in sepulchris condere, hæc quoq; frangebat & effodiebat auaritia, vt cælo & luci proderentur.* Huius rei luculentum exemplum exstat apud Gregorium Turonensem. *Ante paucos dies mortua propinqua vxoris eius* (Bosonis Gunthchramni) *sine filiis in Basilica vrbis Metensis sepulta est cum grandibus ornamentis & multo auro. Factum est autem, vt post dies paucos adesset festiuitas beati Remigij, quæ in initio mensis Octobris celebratur. Descendentibus autem multis è ciuitate cum Episcopo, & præsertim senioribus vrbis cum duce, venerunt pueri Bosonis Gunthchrammi ad Basilicam, in qua mulier erat sepulta, ingressi, conclusis super eos ostiis, detexerunt sepulchrum, tollentes & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti, quæ reperire potuerunt.*

Turon. lib. 8. Hist. cap. 21.

Vt

Digitized by Google

Vt autem fures ab huiusmodi sacrilegiis absterrerentur, pretiosas itidem vestes, quibus mortuos amicire volebant, lacerabant, ne sepulchrorum effossores & violatores allicerent. Testis Origenes lib. 1. in Iob. in illud cap. 1. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua*, &c. *Scidit vestimenta sua, ac si diceret ad ipsos aduersarios nequissimos: O maligni atque iniqui aduersarij, mortuum me aestimatis, vt vos putatis, & vt vobis videtur, in terram me sepelire praeparatis. Si ergo me mortuum aestimatis, ô inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam, conscindere pretiosas atque regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eas possidentes. Puto, quòd ex illo consueuerunt homines, cum pretiosam sepulturam cuilibet miserint, conscindunt eam, ne aliqui scelesti & ipsum corpus proiiciant, & ipsam pretiosam sepulturam possideant. Sepulturam* vocat Interpres vestimentum, ad sepulturam adhibendum. Eundem lacerandi morem paulò post ex sancto Chrysostomo audies.

Aperuit quoque Otho III. Imperator sepulchrum Caroli Magni, non vt furax harpago, sed vt certior efficeretur, num eo in loco, in quo sepultus ferebatur, verè sepultus esset. Accipe verba Ditmari. *Reuersus Aquisgranum Caroli Caesaris ossa vbi requiescerent, cum dubitaret, rupto clam pauimento, vbi ea esse putauit, fodere, quousque haec in solio inuenta regio, iussit. Crucem auream, quae in collo eius pependit, cum vestimentorum adhuc imputribilium parte sumens, caetera cum magna veneratione reposuit.* Vbi vides non tantum diadema Caroli Magni Cruce fuisse insignitum; sed & alteram de collo suspensam.

Vetitum porro iam olim Romanorum legibus fuit, ne in sepulchrum quidquam iniiceretur, quod ad ornatum corporis defuncti non pertineret. *Non oportet*

L. et si quis ff. de Religiosis & sumptibus funerum.

ornamenta cum corporibus condi, inquit Vlpianus, *nec quid alíud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt.* Vide Lorinum in caput IX. Act. Apostolicorum.

S. Chrysostomus Hom. 84. admodum acriter inuehitur in illos, qui mortuos pretiosis vestibus amictos sepeliunt. *Tu cum audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa, quaeso, ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimum affert detrimenti, mortuis nullam vtilitatem, vel damnum potius? Sumptuosa namq; sepultura nonnunquam causa est, vt fures cadauer effodiant, & nudum & insepultum proiiciant. Sed, ô inanem gloriam, quantam etiam in luctu vim, quantam amentiam ostendit? Multi igitur, ne id accidat, tenuia scindunt linteamina, & multis implent aromatibus, vt duplici ratione inutilia furibus reddantur, ita terrae mandant. Nonne haec insanientium, nonne furentium sunt, ambitionem prae se ferre, & rursus tollere? Sanè, inquit, vt nulla furandi sit occasio, haec omnia molimur. Quid ergò si nemo furabitur? Nonne tinea & vermes consument? Et si non hi, nonne tempus & putredo?* &c.

Quod ego, non vt sepulturam tollam, dico, absit; sed luxuriam & superfluam ambitionem, &c. *Si vis mortui misereri, aliam tibi viam ornandi funeris ostendam, & docebo his mortuum vestibus ornare, quae simul cum eo resurgent, & conspicuum reddent: hae vestes nec tineis corroduntur, neq; tempore consumuntur, neque diripiuntur à furibus. Quae nam hae sunt? Eleemosyna; vestis est, quae cum eo resurget. Eleemosyna tanquam signaculum cum eo. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient: Esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare: hae, insignes faciunt; hae conspicuos, hae securos. Praesentia enim nihil aliud sunt, quam tinearum & vermium esca: non tamen sepulturam prohibeo; sed modus seruetur, vt tega-*

tegatur corpus, non nudum mandetur terræ. Et meritò S. Chrysostomus hanc restrictionem addidit; quia corpus, etiam exanime, honorandum est, licet enim, *quidquid corpori humano impenditur, non sit præsidium salutis, est tamen humanitatis officium, secundum affectum, quo nemo vnquam carnem suam odio habet*, vt inquit S. Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda: *Vnde oportet, vt quam potest pro carne proximi curam gerat, cum ille recesserit, qui regebat. Et si hoc faciunt, qui carnis resurrectionem non credunt; quantò magis debent facere, qui credunt; vt corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, & in æternitate mansuro impensum eiusmodi officium sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium?*

CAPVT VII.

De collocatione seu expositione corporis mortui ad spectaculum, cultum, preces, & humanæ conditionis recordationem.

LOTVM, vnctum, & vestitum demortui corpus interdum in publico loco omnibus intueri volentibus exponebatur; Et huc allusit S. Lucas in Actis, cum *Tabitham* seu *Dorcadem* iam lotam in cœnaculo positam scribit. *Cap. 9.*

S. Petrum Alexandrinum Episcopum & Martyrem Pontificalibus indumentis indutum *perinde ac viuentem in sede S. Marci collocarunt.*

Pelagia, sancta mulier, apud Gregorium Turonensem his filium verbis allocuta est. *Quæso, fili dulcissime, ne me ante diem quartum sepeliatis, vt venientes famuli famulæue omnes videant corpusculum meum, nec vllus frustretur* *Turon. lib. de Gloria confess. cap. 104.*

ſtretur ab obſequiis meis de his, quos ſtudioſiſsimè enutriui.

Et hæc aſſeruatio ſeu expoſitio ad ſpectaculum fiebat non modò ante ductum, ſed & aliquando poſt ductum funus; nam corpus B. Paulæ viduæ triduo poſt funus expoſitum manſit, *donec ſubter Eccleſiam, & iuxta ſpecum Domini conderetur*, vt ſcribit S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ. *At venerabilis Virgo, filia eius Euſtochium, quaſi ablactata ſuper matrem ſuam, abſtrahi à parente non poterat, deoſculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, & ſe cum matre velle ſepeliri.*

Euſeb. lib. 4. de Vita Conſtantini cap. 66.

Aliquando expoſita quidem erant mortuorum corpora, ſed ſarcophago incluſa. Euſebius de Conſtantino Magno. *Hic milites arreptum cadauer aurea capſula includunt, & vndique purpurea veſte contectum, Conſtantinopolim perducunt. Ibi tum in omnium magnificentiſsimis Imperatoriis ædibus, celſo atque edito loco, deponunt: luminibusq́; circum funus aurea ſuper candelabra accenſis, admirabile ſpectaculum intuentibus præbebant, & ſanè huiuſmodi, quale nunquam in terris vllum à condito mundo ſub ſole viſum eſt. Nam intus in ipſo ferè medio regij Palatij, excelſa & aurea capſula incluſum Imperatoris corpus, Imperiali apparatu, id eſt, purpurâ & diademate ornatum, permulti circumfuſi vigiles die noctuq́; aſſeruabant.*

Iam totius exercitus Duces & Comites, omniumq́; Principum cœtus, quibus antea in more fuit Imperatorem venerari, priſtinum morem & conſuetudinem conſeruantes, ſtatis temporibus introëuntes, Imperatorem in capſula iacentem, tanquam viuum, etiam poſt mortem humi procumbentes ſalutabant. Horum reuerentiam eodem pietatis officio ſubſecutus eſt ſenatus, & omnes reliqui magiſtratus. Tum verò cuiusq́; ordinis hominum, etiam mulierculaꝛum & puerorum infi-

infinita turba ad idem spectaculum confluebat. Hæc per multos dies factitata, quòd exercitus consistere funus eo loco, & per se asseruari constituerat, quoad eius filij reuersi, efferendo paterno per ipsos funere, patrem suum honorassent.

Solus verò iste beatus Imperator etiam mortuus regnauit: cum ei soli post hominum memoriam, vel ipso Deo auctore, omnes qui solebant honores, tanquam superstiti, tribuerentur. Nam cum is solus ex omnibus Imperatoribus Regem omnium Deum, & Christum eius, omnibus vitæ actionibus piè sanctéq; coluerit; iure etiam hunc honorem solus adeptus est, vt Dei voluntate, quod in eo morte sepultum erat, tamen apud homines regnaret: vt ista scilicet ratione nobis Deus significaret, animorum regnum his, qui non prorsus obduruerunt, nunquam consenescere, nunquam emori.

Veteres Ægyptij saltem aliqui si non omnes; mortuorum cadauera aromatis condita & exsiccata, nec cremabant, nec sepeliebant; sed domi in conclauibus & lectulis asseruabant, & mensæ itidem adhibebant, vt testantur M. Tullius, Mela, Sextus Philosophus, Silius Italicus, Lucianus & alij, qui mos ad Christianos quoq; transiit, quem vehementer detestatus est S. Antonius, vt in eius vita S. Athanasius commemorat his verbis: *Finito sermone* (quem ad fratres in Ægypto habuerat) *fratres eum vehementissimè retardabant* (rogando scilicet & obsecrando, ne ad suum Monasterium, quod erat in interioribus partibus deserti, reuerteretur) *glorioso patris cupientes termino decorari.* (Cupiebant enim. vt apud ipsos vitæ finem imponeret, quod propediem futurum esse prædixerat) *Sed multas ob caussas, quas & silentio demonstrabat, præcipuè tamen ob præsumptam Aegypti consuetudinem contradixit.*

Cic. lib. 1. Tusc. Mela lib. 1. c. 9. Sext. lib. 3. Pyrrhon. Hypothes. cap. 24. Silius lib. 12. Lucian. de luctu.

Mos etenim Aegyptiis est, nobilium, & præcipuè beato-

rum Martyrum corpora linteamine quidem obuoluere, & studium funeri solitum non negare; terra verò non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inueterata consuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius sæpe & Episcopos deprecatus est; vt populos Ecclesiastica consuetudine corrigerent, & laicos viros ac mulieres rigidius ipse conuenit, dicens: Nec licitum hoc esse, nec Deo placitum: quippe cum Patriarcharum & Prophetarum sepulchra, quæ ad nos vsque perdurant, hæc facta conuincerent: Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat, quod in sepulchro positum lapide vsque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos Aegypti, etiam si sancta essent corpora, coarguebat, dicens: Quid maius, aut sanctius corpore potest esse Dominico, quod iuxta consuetudinem gentium cæterarum humo conditum esse scimus?

Hac iusta persuasio multorum insitum euellit errorem, & repositis in terra cadaueribus, Domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergò consuetudinem supra dictam, ne eodem etiam circa se laberentur errore, celeriter, vale dicens monachis, qui confluxerant, ad amicum virtutis habitaculum repedauit, &c.

Qui postmodum sub extremam horam ita fratres suos allocutus est: *Si qua mei vobis cura, si mihi vicarium rependitis affectum, nullus ad Aegyptum meas perferat reliquias; ne vano corpus honore seruetur, ne vituperati ritus à me, vt nostis, etiam circa me seruentur obsequia. Huius enim rei gratia maximè huc sum regressus. Vos igitur humo tegite, vos patris operite corpusculum, & illud quoque senis vestri custodite mandatum; vt nemo, præter vestram dilectionem, locum tumuli mei nouerit.*

Ean-

Eandem fuiſſe ipſius Athanaſij mentem teſtatur Damaſcenus. *Scimus beatum Athanaſium ſanctorum reliquias non in vrnis collocandas, ſed humi condendas eſſe eo conſilio cenſuiſſe, vt abſurdum Aegyptiorum morem abrogaret, qui mortuos ſuos non ſub terra condebant, ſed in lectulis & ſcimpodiis collocabant.* Hæc Damaſcenus. Neque tamen vllus hinc rectè collegerit, S. Antoniū & S. Athanaſium Reliquiarum cultum improbaſſe. Non improbarunt hunc, ſed Ægyptiam conſuetudinem reiiciunt: quæ mortuos tumulis non inferebat, ſed domi retinebat; cum tamen Chriſtus ipſe non fuerit dedignatus ſepulchrum ſubire; vt & Patriarchæ legis antiquæ, quorum exempla ſua in oratione S. Antonius adducit. qui quod ſuas reliquias honorari noluit, humilitatis indicium fuit, non argumentum exiſtimantis omnem Reliquiarum venerationem illicitam eſſe. *Damaſc. orat. 1. de imagin.*

CAPVT VIII.

Subſidia & officia ſpiritualia mortuis ante elationem funeris exhibita.

HORVM in numero computantur ſacrificium Miſſæ, Preces, Pſalmodiæ ad feretrum, Eleemoſynæ, & alia huius generis. Tertullianus lib. de Anima. *Scio fœminam quandam vernaculam Eccleſiæ forma & ætate integra functam: poſt vnicum & breue matrimonium, cum in pace dormiſſet, & morante adhuc ſepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis manus à lateribus dimotas in habitum ſupplicem conformaſſe, rurſumq; condita pace, ſitui ſuo reddidiſſe.* *Cap. 51.*

Hic manifestè habemus preces pro defunctis fusas; quod & alibi Tertullianus ostendit, vt suo loco videbimus: quia hic de illis precibus agimus, quæ funeris elationem, vel saltem sepulturam ipsam antecedebāt: nam mortuum *oratione presbyteri componi*, nihil aliud est, quàm mortuum Deo per preces à sacerdote conceptas commendari; *Et condere pacem, seu condita pace*, precationi finem imponere, nihil aliud innuit, quàm sacerdotem defuncto requiem & pacem exoptasse, & cum hoc voto precibus finem imposuisse; fineque imposito, ad sepulturam processum esse; ad eum modum, quo & hodie Catholici preces pro defunctis terminant illa clausula: *Requiescant in pace*: hoc enim est *condere pacem*. Quid autem sit manus *in habitum supplicem conformare*, & quàm flagitiosè Franciscus Iunius hunc Tertulliani locum deprauauerit & in alienissimum sensum detorserit, ostendi in Animaduersionibus ad notas Tertullianéas Iunij. Vide etiam, quæ de hoc Tertulliani loco diximus in Opere de sancta Cruce.

Cap. 4. Tom. 1. lib. 4. cap. 35.

Neq; improbabiliter Pamelius *orationem istam* presbyteri, interpretatur de sacrificio Missæ; cum ex eiusdem sententia Tertullianus per *orationem* in ipso etiam titulo libelli de oratione, *sacrificium Missæ* intellexerit: nam & S. Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. per ἱερωτάτην εὐχὴν, quam ἱεράρχης super defunctum facit, sacrificium Missæ pro defunctis immolari consuetum innuit; neque enim est εὐχὴ ἱερωτέρα, *sacratior oratio*; quàm sacrificium Missæ. At S. Dionysius de eo loqui videtur, quod circa mortuum fieri solet, elato iam ad sepulturæ locum funere. Differemus ergo ea, quæ S. Dionysius scribit, ad librum secun-

dum;

dum; tametsi negandum non est, aliquando funus non fuisse elatum vel exportatum; vt quando fideles olim priuatis in ædibus, vel in fundis, qui ædibus contigui erant, tumulabantur.

Idem mos sacrificandi pro defunctis elucet ex petitione S. Monicæ, Matris S. Augustini, quæ morti vicina adstantibus dicebat; *Ponite hoc corpus vbicunque. Nihil vos eius cura conturbet; tantum vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis.* S. August. lib. 9. Confess. c. 10.

De eadem idem S. Augustinus. *Illa imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium, non ista mandauit nobis, sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat; vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? quis ei restituet precium, quo nos emit, vt nos auferat ei? Ad cuius precij nostri Sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi, nec insidiis Leo & Draco. Neque enim respondebit illa nihil se debere, ne conuincatur & obtineatur ab accusatore callido: sed respondebit, dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit.* Cap. 13. Coloss. 2.

Hæc S. Augustinus, planè insinuans, inquit Baronius, quid prætenderet Ecclesia agere, cum pro defuncti anima, corpore nondum tumulato, sacrificium Deo incruentum offerret; nempe ne anima illa ab aduersariis potestatibus impediretur, quo minus ad Deum

Digitized by Google

libera ascenderet: alludens prorsus ad eas, quæ præmittebantur, vt hodie, in sacrificio ab Ecclesia preces: *Domine IESV Christe Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, sed signifer S. Michaël repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti & semini eius.*

Et quia D. Augustinus sanctissimę matris suæ voluntatem expleri cupiebat, à reliquis itidem sacerdotibus palam postulauit, vt matris suæ ad altare Domini meminisse dignarentur. *Inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filiis tuis dominis meis, quibus & voce & corde & literis seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam,* &c.

S. Aug. Confess. lib. 9. c. vlt.

CAPVT IX.

Mos pulsandi Campanam, vt pro exstincto preces fundantur; & quid de hoc Caluinistæ.

DABATVR Campanâ signum exstincto quopiam, præsertim in Monasteriis, vt cæteri ad fundendum pro eo preces excitarentur. Beda de Hilda Abbatissa defuncta, cuius obitum *Dominus omnipotens in alto longius posito monasterio manifesta visione reuelare dignatus est. Erat in eodem Monasterio quædam sanctimonialis femina nomine Begu, quæ triginta & amplius annos, dedicata Domino virginitate, in mona-*

Beda li. 4. Hist. Anglic. c. 23.

Digitized by Google

monachica conuersatione seruiebat. Hæc tunc in dormitorio sororum pausans audiuit subitò in aëre notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel conuocari solebant, cum quis eorum de sæculo fuisset euocatus, apertisq; (vt sibi videbatur) oculis aspexit, detecto domus culmine, fusam desuper lucem omnia repleuisse: cui videlicet luci cum solicita intenderet, vidit animam præfatæ Dei famulæ in ipsa luce, comitantibus ac ducentibus eam angelis, ad cœlum ferri. Cumq; somno excussa videret cæteras pausantes circa se sorores, intellexit vel in somnio, vel in visione mentis ostensum sibi esse, quod viderat. Statimq; exsurgens nimio timore perterrita, cucurrit ad virginem, quæ tunc monasterio Abbatissæ vice præfuit, cui nomen erat Frigit; fletuq; ac lachrymis multum perfusa, ac suspiria longa trahens, nunciauit matrem illarum omnium Hildam Abbatissam iam migrasse de sæculo, & se aspectante, cum luce immensa, ducibus angelis, ad æterna limina lucis, & supernorum consortia ciuium ascendisse. Quod cum illa audisset, suscitauit cunctas sorores, & in Ecclesiam conuocatas, orationibus ac Psalmis pro anima matris operam dare monuit. Quod, cum residuo noctis tempore diligenter agerent, venerunt primo diluculo fratres, qui eius obitum nunciarent, à loco, vbi defuncta est.

Hinc adhuc apud Catholicos mos iste durat, vt cum quis exspirauit, signum campanis Ecclesiæ publicitus edatur; alicubi quidem ante funeris deductionem; alibi, dum ipsum funus ducitur; alibi, vtraque vice, vt viui ad preces pro mortuo concipiendas excitentur, prout etiam fit; nam plerunque, audito campanæ pulsu, minimum in has voces Catholici prorumpunt. Gnad jhm Gott. *Deus sit illi propitius.* Gott geb jhm die ewige Ruhe. *Deus det illi æternam requiem*, & hoc faciunt, prius etiam, quàm in specie cognoscant, quis sit ille defunctus. *Vide Murices Prædicanticos cap. 22.*

Et

Et quia Caluiniani talem campanæ pulsum, huiusmodi motiones in audientium animis excitare, talesque precationes elicere sciebant: ideo conati sunt hanc consuetudinem abolere, nominatim Mompelgartenses Ministri; sed quia obstante Principe, res ex sententia minus succedebat; ad tripodem Caluini recurrerunt, vt inde, quid facto opus esset, exquirerent: qui Anno salutis M. D. XLIII. hoc ad eos responsum misit.

De campanæ pulsu nolim vos pertinacius reclamare, si obtineri nequeat, vt Princeps remittat, non quia probem, sed quia rem contentione non dignam arbitror.

Quæ causa, cur pulsum hunc Caluinus non probet? Haud alia, quam quia eo audito, Christiani in vota precesque pro defuncto prorumpebant. Id vel inde colliges, quod Varellus Minister Mompelgartensis multis annis post, nempe Anno M. D. LXII. hanc quæstionem ad Caluinum detulit. *Hic sunt non pauci, qui vita mortuorum mentionem facientes, verba hac addere solent;* cui Deus bonam & felicem det resurrectionem. *Scimus quidem vanas & impias esse preces, quæ pro defunctorum salute funduntur: sed, quoniam huiusmodi optatum ad carnis resurrectionem, quam fides nostra sperat, respicit; illud hactenus reprehendere, nondum sum ausus. Itaque scire velim, an homini Christiano in religione bene instituto ita loqui liceat? Et, si licet, quatenus id facere possit?*

Epist. 365. inter Epistolas Caluini.

Calu. epist. 366. Quid ad hanc quæstionem Caluinus, vel potius ille, cuius Caluinus Minister erat? *Precationis formula, vt Deus bonam & felicem resurrectionem det mortuis, quia ad regulam bene precandi non quadrat, repudietur. Tale quidem votum, quin concipere liceat, non contendo. Si amicus sepeliatur, vel de eius morte allatus sit nuncius, optabo, vt vl-*

timo

timo die cœlestis gloria mecum sit particeps. Nulla in hoc voto superstitio. Verùm, alia in precibus tenenda sobrietas, ne quid temerè excidat: nec quidquam postulemus, nisi praeunte Dei Verbo. In hoc enim principio acquiescere conuenit. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Ergò, qui sibi vel minimum indulgent in fingendis postulationibus, metas transiliunt. Quidquid verò ad pracipuum illud sacrificium vitiandum tendit, à piorum consuetudine longè remotum velim. Quare, vt ab omni face purgatus sit Dei cultus, maturè occurrere expedit, ne in communem vsum admittatur, quod à vera pietate degenerat.

En, qualis diabolus Caluinisticus? ne ferre quidem vult, vt vita functis faustam, fortunatamque resurrectionem apprecemur: & consuetudinem omnibus Christianis propemodum innatam damnat. Et, vt stoliditatis suæ vertiginem nobis patefaciat, votum concedit; precationem reiicit: quasi vouere amico felicem resurrectionem liceat; precari non liceat. Et quare precari non licet, si vouere licet? nisi, quia modus precandi aliquid innuit, quod Caluinisticæ scholæ ingentem cruciatum parit.

In Synodo quadam Caluinistica Dordraci Anno M. D. LXXIV. celebrata cap. 47. decretum est; *Ex eadem caussa*, (hoc est, propter precationes, quæ pro defunctis fieri solent, non propter superstitiones, quas falsò prætexunt) *compulsationes campanarum, tempore sepultura defunctorum, omnino tolli debent.* Et in alia Pseudosynodo. c. 57. *Erit etiā officium ministrorum curam gerere, vt vsus campanarum, quibus in Papatu vtuntur, tam in morte, quam in sepultura hominum è medio tollatur.*

Apud Schulting. lib. 9. Hierarch. Anacrisi.

Hospinianus Caluinista præfat. in Historiam Sacramentariam, ad Tigurinos, inter cætera, quæ à Zvvinglia-

glianiſmo recenter introducta enumerat, etiam hoc ponit: *Ne Campanarum pulſu funera plangant.* Et quidem Tiguri pulſum funebrem non vſurpari, teſtatur quoque Lauatherus in libello *de ritibus Eccleſiæ Tigurinæ.* Caluiniſtica *Agenda* Heidelbergenſis, concedit æris campani pulſum, ſed eo duntaxat fine, vt funus deducturi conuocentur. Addit tamen Lauatherus, in Agro ſeu Territorio Tigurino campanam pulſari. At cur non & Tiguri?

Quod ſi Caluino ſupradictus loquẽdi modus bilem conciuit, quanto minus toleraſſe cenſendus eſt illum, qui mortuis diſertè & exſertè quietem, pacem, Deumque propitium, clementem, placatumque precatur?

CAPVT X.

Defunctorum nomina ad abſentes miſſa, ſpiritualium ſubſidiorum impetrandorum cauſſa. Pro iiſdem eleemoſynæ diſtributæ.



ITTEBANT veteres, præſertim Monachi, nomina mortuorum ad alios, ea mente, vt pro iis preces funderent, ſacrificium Miſſæ offerrent, & alia pietatis opera ſuſciperent. Exſtat Formula apud S. Bonifaciũ Epiſt. 108. *Direximus fratrum noſtrorum nuper defunctorum nomina, vt eorum in veſtris ſanctis orationibus ſolito more memoriam habeatis, & ad cætera deinceps monaſteria eadem nomina ſcripta dirigatis, ſicut & nos facimus, quoties de vobis, ſiue de cæteris monaſteriis, defunctorum fratrum nomina veniunt.*

Digitized by Google

Cineheardus Episcopus Epistola ad Lullum, inter Epistolas S. Bonifacij 74. *Nomina quoque presbyterorum vestrorum, Diaconorumque ac Monachorum vel Monacharum, siue caeterorum, quae misistis, per monasteria, & per Ecclesias nostrae diœcesis, direximus ad celebranda pro eis Missarum sollennia, & orationum suffragia. Idipsum facere vestram sanctitatem suppliciter exoramus pro eis, quorum nomina habemus dirigenda, & nominatim cum personis suis scribenda, eorum scilicet, qui mihi propriè, atq; huic Ecclesiae, cui seruio, amicißimi vel subditi fiebant, vel praelati.*

Epistola 109. *Nomina fratrum & amicorum nostrorum tuae sanctitati commendantes de hac luce migrantium haec sunt:* nam expressè singulorum nomina apponebantur.

Epist, 62. *Misimus vobis nomina Domini Romani Episcopi pro quo vnusquisq; vestrum XXX. Missas cantet & illos Psalmos, & ieiunium iuxta constitutionem nostram. Similiter pro duobus laicis nomine Megenfrith & Hraban X. Missas vnusquisq; vestrum cantet.*

Huius officij gratia institutae etiam sunt *Fraternitates* seu *Sodalitates* inter variorum Monachorum Monasteria, quorum exempla, clara priscae pietatis argumenta & monumenta reperies Tomo secundo scriptorum Alamannicorum ad calcem.

Eleemosynas pro salute defuncti erogare moris fuisse, planum fit cum ex aliis, tum praecipuè ex S. Chrysostomo; qui vt crebrò, ita grauiter ad hoc pietatis & humanitatis officiũ defunctis praestandã cohortatur, potissimũ Hom. 4. in Epist. ad Phil. vbi ait. *Defleamus istos, iuuemus eos p viribus, procuremus illis aliquid auxilij, modici quidẽ: attamen iuuemus eos. Quomodo, quaue ratione? Precãtes, adhortemur & alios, vt p illis orent, pauperibusq; indefi-*

nenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis. Audi quippe quid Deus dicat: Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Si memoria duntaxat iusti tantum valuit, quando & opera pro talis fiunt, quid non poterunt? Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante siquidem vniuerso populo, manus in cœlos extendente, cœtu item sacerdotali, verendoq́ posito sacrificio; quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt. Catechumenos verò neque isto solatio dignamur, sed omni huiusmodi destituti sunt auxilio, vno quodam dempto. Quo nam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, vnde illis nonnihil refrigerij accedit.

4.Reg.19.

Idem S. Chrysostomus Hom. 84. in Ioan. *Eam morientium curam habeamus, quæ & nobis & illis conferat ad gloriam Dei. Largas pro his eleemosynas faciamus, mittamus eis pulcherrima viatica,* &c. *Qui morituro familiaris est, illi comparet ista funebria, & discedenti ægroto persuadeat, vt indigentibus aliquid relinquat,* &c. *Hæc sunt funera pulcherrima. Hæc & remanentibus & obeuntibus proficiunt.*

S. Augustinus Serm. 34. de verbis Apostoli laudat Christianorum moderatam curam in sepulchris construendis, & moderato funeris apparatu adornando; *nec solùm in corporibus Patriarcharum* Gen. 49. *aliorumq́ sanctorum & humanis cadaueribus quorumque iacentium,* inquit S. Augustinus, *verumetiam in ipsius Domini corpore prædicati atque collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta mœroris. Verùm illa, quæ adiuuent spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obser-*

obseruantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant.

CAPVT XI.

Faces, Preces, Psalmi, planctus & alia nonnulla ante funeris elationem.



EQVE illud sileri debet, ad defunctorum corpora accensas faces, Lampades, cereos, prius quoque, quàm ad sepulchrum exportarentur. Id supra iam audiuimus ex Eusebio de Constantino Magno, cum Constantinopoli in capsula quadam vsque ad sepulturam, asseruaretur. *Cap. 7.*

Corippus de Iustiniani cadauere nondum elato. *Passimque per aulam porticibus longis stabat cum plebe senatus: Interius flentes famuli, vasa aurea mille, mille columnarum species, argentea mille quæ super impositis implebant atria ceris.* Quibus indicat aurea & argentea candelabra, cereis longè lateque collucentibus conspicua, ad funus apposita fuisse. *Coripp. lib. 3.*

Lampas itidem ad corpus S. Ansberti collocata est; cuius oleum non imminutum, sed adauctum fuit. *Tom. 1. Surij.*

Psalmi itidem ad feretrum cantati, & preces pro salute defuncti fusæ. Euerhelmus Abbas de S. Poppone Abbate. *Oratorio deinde exponitur* (cadauer S. Popponis) *Nox illa cum precibus vsque ad lucis ortum pro eo transigitur.* *Tom. 1. Surij.*

Nyssenus de exequiis S. Macrinæ. *Virginum cantu lamentationibus commisto resonabat locus.*

S.Hierony mus de S.Paula. *Exhinc*, (hoc eſt, illâ iam iam mortuâ) *non vlulatus,non planctus, vt inter ſaculi homines fieri ſolet, ſed Pſalmorum linguis diuerſis examina concrepabant.* Pulchrè S. Chryſoſtomus Homil. de SS. Bernice & Proſdoce. *Mors eſt requies quadam, laborum finis,ſudorumq; retributio,ac certaminum pramium,& corona. Propterea principio quidem ſuper mortuos planctus & lamentationes fiebant, nunc autem Pſalmi, & cantus hymnorum. Fleuerunt igitur Iacob quadraginta diebus; fleuerunt & Moyſem totidem alij Iudai & planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat; iam verò non ita; ſed hymni ſunt, preces,& Pſalmi,qua omnia voluptatem in ea re eſſe declarant; Pſalmi enim tranquilli & hilaris animi ſignum ſunt.*

De S. Radegunde priuſquam ad ſepulchrum efferretur,hæc Hiſtoria Vitæ. *Sanctimoniales omnes apud eius torum ſtabant pſallentes: Si verò pſallentium voces vel paululum reticerent, mox planctus audiebatur intolerabilis.*

S.Auguſtinus lib. 9.Confeſſionum cap.12. de S.Monica matre ſua iam iam defuncta. *Pſalteriū aperuit Euodius & cantare cœpit Pſalmum. Cui reſpondebamus omnis domus*: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. *Audito autem, quid ageretur, conuenerunt multi fratres ac religioſa fœmina,& de more,illis, quorum officium erat,funus curantibus*, &c.

Mortuo etiam oſculum ferebant honoris & amoris ergo. Corippus de Iuſtino iuniore Iuſtiniani cadauer adeunte. *Vt primus ingrediens corpus venerabile vidit, Incubuit lachrymans atq; oſcula frigida carpſit Diuini patris*,&c. De S.Huberto Epiſcopo Leodienſi Acta Vitæ eius. *Omnes adſtantes,genibus curuatis,ceruicibusq; ſubmiſsis, plantis eius grata oſcula libant.*

Habeo

Digitized by Google

Habeo Tractatum Manuscriptum de Primatu Pontificis contra Græcos, in quo ista reperi. *Cum Græci ad mortuum sepeliendum conueniunt, noti, amici, & cognati accedentes, ei osculum præstant singuli, tanquam licentiam accepturi.* Quod Auctor *Paganismi* accusat. At non video, quàm meritò. Etiamsi hæc verba adiecissent: *Vade, cum natura te vocauerit; sequemur te.*

In Concilio Antisiodorensi cap. 12. Statutum est & illud: *Ne mortuorum corporibus feratur osculum, & ne inuoluantur corpora eorum velo aut pallis.* Similia decreta leguntur in aliis Gallicanis Conciliis vt in Auernensi. *De opertorio Dominici corporis seu Palla altaris, nunquam sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur; quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.* In eodem Concilio. *Obseruandum, ne pallis vel ministeriis diuinis, defunctorum corpuscula obuoluantur.* In Matisconensi. *Non licet mortuis, nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.* Sed quæ horum decretorum ratio? An per velum & pallas non intelligit Synodus vulgatas; sed sacras? Ita omnino videtur. Nam & apud Gratianum cap. *Nemo*, de Consecrat. Dist. 1. hoc statuitur ex Clemente Romano. *Nemo per ignorantiam Clericus mortuum credat obuoluendum, aut Diaconus scapulas operire velit palla, quæ fuit in altari, vel certè, quæ Diacono data est in mensam Domini.* Vetat ergo ne altaris palla seu mappa mortuus veletur. Quod Glossa tantum intelligit de *laicis: nam Clerici*, inquit, *bene induuntur vestibus sacris.* Omnino bene; sed vestibus sacris; At Canon de pulla seu mappa siue tegumentis altaris loquitur; de quibus facilè conceditur, inquit Suaretz Tom. 3. in tertiam partem Dis. 81. Sect. 8.

non

non debere in hunc vsum conuerti, vt in eis corpora defunctorum, etiam sacerdotum, *obuoluantur*, quod propriè significat, vti huiusmodi pallis, tanquam sindone quadam ad nuditatem corporis defuncti immediatè cooperiendam; quod non est in vsu, etiam circa corpora sacerdotum, nec debet fieri, sine magna necessitate. At aliis vestibus benedictis sacerdotes indutos sepeliri, vsus habet, quem licitum esse, quis negauerit, cum actus sepeliendi defunctum sit actus pietatis seu misericordiæ, & circa personã sacram possit esse actus religionis, ergo vti vestibus sacris ad hunc actum, nõ est illas conuertere ad vsus profanos, sed ad actum pietatis & religionis, ergo in hoc nihil est indecens, de quo plura Suaretz loc. cit.

Oculos quoque charorum chari claudebant. S. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 12. de S. Monica, cum iam iam animam edidisset. *Premebam oculos eius.*

Eleganter S. Chrysostomus Homil. 1. de patientia Iob, quid erga mortuos, præsertim à parentibus in filios, fieri soleat, his verbis demonstrat. *Qui secundum carnem parentes sunt, cum natum vltimo spiritu laborantem habuerint, circumsident, vltimaq; eius audiunt verba, manus circumpalpant, adhortationes, fomentaq; alia de industria adhibent. Os deosculantur vltimo parentum osculo. Exinde cum reddiderit puer animam, quemadmodum desiderant, iubent parentes officia adhibere. Manus componunt, oculos claudunt, caput directò statuunt, pedes reducunt, lauant, sepulchroq; condigno dignis funeralibus condunt, atque propria calamitate solantur.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XII.

De luctu super mortuo luctusque argumentis.



VPLEX est planctus & luctus; alter moderatus, alter immoderatus; illum, sancti Patres non damnant; hunc improbant, præsertim si fines decentiæ nimium transcendat, & aliquid simulati & affectati resipiat. quem S. Ioannes Chrysostomus *muliebrem morbum* nominat; quia fœminæ plerumque moderationis limites transiliunt. *Et iam cum aliis malis hic muliebris morbus inualuit*, inquit S. Ioannes Chrysostomus, *ostentant planctus & dolores suos, cruentant brachia, scindunt capillos, laniant genas, partim ob dolorem, partim ad ostentationem; alia animo impudico in medio foro brachia nudant. Quid facis mulier? nudas te impudenter in medio foro, cum Christi membrum sis, cum viri adsint; & capillos vellis, & in miseros prorumpis eiulatus, & saltas, & insanarum mulierum more iactaris? Nonne te Deum offendere arbitraris? Quæ nam hæc insania? Nonne videbunt gentiles? Nonne fabulam nostram putabunt religionem? Dicent enim, nullam esse resurrectionem, illusiones omnia Christianorum dogmata, & fallacias putabunt. Haud enim aliter, quàm si nihil post mortem remaneat, mulieres lamentantur; non attendunt scripturis, omnia illa esse figmenta ipsa credere videntur; siquidem, si crederent, mortuum nō esse mortuum, sed ad meliorem vitam translatum, non vtique ipsum, tanquam nihil esse deplorarent, non adeò indignarentur, non tantas efferrent voces incredulitatis indices: Nunquam te amplius videbo. Omnia apud illos fabula. Nam, si principali bono ita diffidunt, multò magis aliis, quæ asserunt.* S.Chryso.Hom. 61. in Ioan.

Non ita gentiles effeminantur. Multi apud eos philosophati sunt; & cum audisset mater filium in prælio cecidisse, mox rogauit, quomodo se respublica haberet. Et alius Philosophus coronatus, cum audiret filium pro patria cecidisse, coronam deposuit: inde sciscitatus, quomodo cecidisset? vt fortiter occubuisse cognouit, in caput statim coronam reposuit, &c.

Quid? inquis. Cum homines simus, de morte hominis non est dolendum? Nunquid ego hoc prohibeo? Minimè lugere, sed impudenter lugere, veto. Non sum immanis atque crudelis. Video naturam dolere, & quotidianam requirere consuetudinem. Non licet nullo affectu moueri, quod & Christus
Ioan. 11. *ostendit: lachrymatus est super Lazaro: eius sequere exemplum: lachrymare, sed leniter & prudenter & cum Dei timore. Si hac ratione lachrymas fundes, non resurrectionis diffidentiæ argueris, sed ægrè ferre charißimi seiunctionem videberis. Nam & peregrè proficiscentes lachrymis prosequimur, non tamen vt mortuos: ita & tu lugeas, tanquam præmiseris peregrinum. Hæc ego non vt præceptor, sed vt permissor, humanæ conscius fragilitatis admoneo.*

Quod si peccator, & qui sæpenumero Deum offenderit, moritur, is deflendus est; vel potius, minimè: cum nihil illi afferat vtilitatis: sed, ea facienda, quæ ei aliquid conferre poßint, vt sunt eleemosynæ, oblationes. In hoc lætandum est, quòd malitia eius abscissa est: quod si iustus; rursus lætandum, quod in tuto collocatur, quod liberatus est à futura incertitudine. Si iuuenis, quòd ex medio malorum ereptus est: si senex, quod eo diutius vsus, quod maximè desiderabile videbatur, vita satietate migrauit. Tu autem, horum omissa consideratione, ancillas cædis, ac si ita demum defunctum honoribus prosequaris; quod vltimæ est dementiæ. Honor enim mortuo non fletus est, non eiulatus, sed hymni & psalmi & vita optima. Ille moriens cum angelis euolabit, etiamsi nemo exequiis interueniat:

nlat: perditus autem, etsi in funere vniuersam habuerit ciuitatem, nihil lucrabitur. Vis mortuum honorare? alia via aggrediendum est. Fac eleemosynas. Quæ tibi ex multis fletibus vtilitas?

Defleamus, (mortuos) *sed non præter decorum*, inquit alibi S. Chrysostomus, *non capillos euellentes, non brachia nudantes, non faciem lacerantes, non nigris nos vestibus obuelantes, sed in animo duntaxat amaras lachrymas tacitè fundentes. Potest enim etiam sine ista pompa plorari, & non ita duntaxat ludi. Nihil enim à ludis differunt, quæ à quibusdam fiunt. Quoniam enim illi planctus, qui in foro fiunt, non ex compassione, sed ostentatione, & ambitione, vanaque gloriæ studio sunt, multa hoc mulieres ex artificio & composito faciunt. Amarum plorato, gemito apud te ipsum, nemine vidente, atque istud demum compassionis fuerit, istud tibi proderit.* S. Chrys. Homi. 3. in Epist. ad Philipp.

Etsi autem S. Chrysostomus, immoderatum luctum in omnibus reprehendit, minimè tamen omnium in his, qui se Deo dicauerant, tolerandum esse duxit. *Cum quis aut mulier aut vir*, inquit S. Chrysostomus, *crucifixũ se mundo dicit; & eorum hic quidem capillos dissipat: illa verò vlulat; quid hac re turpius? Credite mihi dicenti, si quemadmodum oportebat, fieret, multo tempore debebant huiusmodi ab Ecclesiæ limine prohiberi. Isti enim sunt, qui verè digni sunt luctu, qui mortem timent adhuc, & horrescunt, qui resurrectionem adhuc non credunt.* S. Chrys. Hom. 4. in cap. 2. ad Hebr.

Sed resurrectioni, inquit, non diffido; sed, consuetudinem quæro. Quare ergo, dic mihi, quando in longinquum ac peregrè proficiscitur, non eadem facis? Sed ploro, inquis, & tunc, & consuetudinem requiro. Verum illud quidem verè consuetudinem quærentium est: hoc autem de reuersione desperantium. Cogita, quid psallas in illo tempore; reuertere, inquis,

 ani-

Psal. 14. Psal. 31. *anima mea in requiem tuam; quia Dominus benè fecit tibi. Et iterum; non timebo mala, quoniam tu mecum es: Et iterum; Tu es refugium meum à tribulatione, quæ me continet. Intelligis, quid sibi velint isti Psalmi? sed non animaduertis, & inebriaris ex luctu. Vel in aliorum sepulturis diligenter perpende, vt habeas remedium in tuis. Reuertere, inquis, anima mea in requiem tuam: quoniam Dominus benefecit tibi. Dic mihi; dicis; quoniam Dominus benefecit tibi, & lachrymaris? Nonne scena sunt ista? nonne hypocrisis? Si enim verè credis verbis, quæ dicis, superuacuè luges: si autem ludis & fingis, & fabulas esse putas, quare psallis? quare suscipis ad te venientes? quare non repellis psallentes? Sed furor, inquis, esset, hoc facere. Atqui, quod facis, multò maiorem furorem habet.*

Et hunc prçter modum, lamentandi & eiulandi peruersum morem, ideo tam acriter S. Chrysostomus reprehendit, quod Ethnicis offendiculo & impedimento esset, quo minus Christianam religionem amplecterentur. *Confestim namq; dicunt: Quo modo ex istis aliquis contemnere poterit mortem, qui neq; alterum mortuum videre potest patienter?*

Consonat cum S. Chrysostomo D. Hieronymus, qui & ipse nimium luctum in omnibus quidem culpat, sed præcipuè in iis, qui sæculo valedixerunt. Quare

S. Hieron. epist. 25. scribens ad Paulam super obitu Blæsillæ, tandem ita cum Paula agit. *Et adhuc sic locutus sum, quasi vnam de turbis conuenerim Christianam. nunc verò, cum sciam toti te renunciasse mundo, & abiectis, calcatisq; deliciis sæculi, orationi, ieiuniis, lectioni vacare quotidie: cùm ad exemplum*

Gen. 12. *Abraham cupias exire de terra tua & de cognatione tua, vt & Chaldæis & Mesopotamia derelictis, terram repromissionis introeas; cum omnem substantiolam aut pauperibus dilargi-*

largitasis, aut filiis ante mortem mundo mortua dederis: miror te ea facere, qua si facerent catera, reprehensione digna viderentur. Redit tibi in memoriam confabulatio eius, blanditi[illegible] sermo, consortium: & , quod his careas, pati non potes. Ignoscimus matris lachrymis, sed modum quarimus in dolore. Si parentem cogito, non reprehendo, quod plangis: si Christianam, & monacham; istis nominibus mater excluditur.

Intolerandum autem & omni modo exterminandum existimauit S. Chrysostomus, quòd nonnulli, Ethnicorum ritu, præficas, hoc est, mulieres lamentatrices, conducerent, quæ & ante & in ipsa funeris deductione mortuum deplorarent. *Si aliqui lamentatrices istas conduxerint*, inquit S. Chrysostomus, *credite mihi dicenti, (non enim aliter dicam, quàm vt possum & affectus sum, irascatur, si cui libet) per multum tempus talē ab Ecclesia arcebo, sicut idololatram. Si enim auarum idololatram vocat Paulus; multò magis eum, qui super fidelem mortuum, ea, qua sunt idololatrarum, inducit. Pro qua re, dic mihi, presbyteros vocas, & psallentes? Nonne vt consolationem recipias? Nonne, vt honores discedentem? Quare igitur illum contumeliā afficis? quare eum infamas? quare ludis sicut in scena? Nos venimus de resurrectione philosophantes, vniuersos docentes, & eos, qui necdum percussi sunt, per honorem, qui mortuo tribuitur, si quando aliquid tale contigerit, ferre fortiter: tu autem adducis eos, qui nostra, quantum in ipsis est, subuertunt. Quid hac irrisione, & isto ludibrio peius? Quid hac inaqualitate molestius? Confundimini, & erubescite; si autem non vultis, nos non patimur amplius tales mores, Ecclesia perniciosos induci. Peccantes, inquit, in conspectu omnium, argue: & mulieribus illis miseris per vos denunciamus, vt nunquam in mortibus fidelium, aut exportationibus ingrediantur, ne reuera propria mala eas cogamus lugere, & doceamus, vt non*

S. Chryso. Hom. 4. in Epist. ad Hebraos.

1. Tim. 5.

in alienis hac faciant, sed proprias magis calamitates lamententur; etenim & Pater misericors, quando filium inordinatum habet, non illum solum monet, vt non coniungatur malignis, sed etiam ipsos terret. Ecce igitur, & vobis & i[illegible] mulieribus per vos admonens dico, vt neq; vos conuocetis tales, neq; illa adueniant: Et contingat quidem hoc verbum amplius operari, & has minas praualere. Si verò, quod absit, contemnemur, compellemur deinceps in actum deducere minas; vos quidem legibus Ecclesiasticis coërcentes, illas autem, sicut tales coërcere competit.

Moderatus luctus nec prohibetur, nec improbatur, vt antea ex S. Chrysostomo audiuimus; Et habet exempla probata veteris & noui Testamenti: tametsi S. Hieronymus magnitudinem planctus aliquando de apparatu funeris & exequiarum interpretatur. *De Moyse & Aaron*, inquit, *quòd eis ex veteri more sit planctus exhibitus, non mirandum est; cum & in Actis Apostolorum,* Act. 8. *iam Euangelio coruscante, Stephano fecerint Hierosolyma fratres planctum magnum: & vtique planctus magnus, non in plangentium exanimatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus sit. Deniq; de Iacob scriptura sic loquitur; Et ascendit Ioseph sepelire patrem suum: & ascenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis, &* Gen. 50. *seniores domus eius, & seniores omnis terra Aegypti, & omnis domus Ioseph, & fratres eius. Et post paululum: Et ascenderunt cum eo quadriga & equites, & facta sunt castra grandia nimis. Ac deinde: Et planxerunt eum planctu magno & forti nimis. Planctus iste solemnis non longas Aegyptiis imperat lachrymas, sed funeris monstrat ornatum. Iuxta quem modum Aaron quoq; & Moysen fletos esse, manifestum est.*

Vtcunque tamen sit, dolor moderatus, & externa itidem huius luctus signa non improbantur in Christianis, iis præsertim, qui vitam arctiorem & à curis sæculi abstractam non amplectuntur; nam Christus ipse & sancti exemplo suo nobis præiuerunt. *Permittantur pia corda charorum*, inquit S. Augustinus Serm. 34. de verbis Apostoli, *de suorum mortibus contristari dolore sanabili & consolabiles lachrymas fundant*, conditione mortali, *quas citò reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles, quando moriuntur, paululum à nobis abire & ad meliora transire.*

Illud vnicè elaborandum est, ne luctus in excessum erumpat, aut indecorus euadat; similis eorum luctui, qui nulla spe resurrectionis fulciuntur & eriguntur. Eam enim ob causam de dormientibus S. Paulus Thessalonicenses instruxit, *vt non contristemini*, inquit, *sicut & cæteri, qui spem non habent*. Non dixit absolutè: *Non contristemini*; nam hoc naturæ perquam arduum accideret, nec nisi in perfectos viros cadit; sed, vt non *contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* 1. Thess. 4.

Quapropter si quando Christiani in suorum obitu metas moderationis excessisse visi sunt; nō defuerunt hortatores, qui eos intra cancellos rationis reuocarent: Et illud Saluatoris ad viduam incinerent: *Noli flere.* Pone modum luctui. Non amisisti, quem flebilibus threnis deploras, sed præmisisti. *Cur dolemus quenquam mortuum? Ad hoc enim nati non sumus, vt maneamus æterni. Abraham, Moyses, Esaias, Petrus, Iacobus, Ioannes, Paulus, electionis vas, & super omnia filius Dei, moritur: & nos indignamur aliquem exire de corpore, qui ad hoc forsitan raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius? Placita enim erat Deo anima eius: propter hoc properauit educere eam de media* S. Hier. epist. 25. de obitu Blæsillæ. Sap. 4.

media iniquitate, ne longo vitæ itinere, deoberraret anfractibus. Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscepit, quem Tartarus deuorat, in cuius pœnam æternus ignis æstuat.

Viri illi *timorati* seu εὐλαβεῖς, & religiosi, qui S. Stephanum sepelierunt, *planctum magnum super eum fecerunt.* Sed planctus hîc, tametsi magnus; proculdubio intra moderationis terminos magnus fuit: qualis fortè censeri non potest ille in funere Constantini Magni, de quo Eusebius libro IV. vitæ Constantinianæ: *Satellites & vniuersus stipatorum cœtus, dilaceratis vestibus, corporibusq; ad pauimenta proiectis, & collisis ad solum capitibus, lugubres voces cum magno luctu & clamoribus edebant.* Sed hominibus Martiis, quorum multi in Christiana religione non consenuerant, aliquid condonandum est.

CAPVT XIII.

Vestes in luctu mutatæ. Quid de hoc more Caluinus & Caluinistæ.



IN signum & argumentum luctus vestes pullæ & atræ induebantur. Audiuimus antea ex S. Chrysostomo. Nunc adiungamus eo antiquiorem S. Cyprianum, qui idem testatur libro de Mortalitate, licet non probet; quandoquidem ait; *hic non accipiendas vestes atras, quando illi* (mortui) *ibi indumenta alba iam sumpserint*; Et mox caussam huius suæ sententiæ subiungit; *ne detur occasio gentilibus, vt nos meritò ac iure reprehendant, quòd quos viuere apud Deum dicimus, vt exstinctos & perditos lugeamus, & fidem, quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testi-*

testimonio non probemus. Non ergo absolutè damnauit S. Cyprianus, aut S. Chrysostomus de quo iam suprà, morem induendi atras vestes, sed ne infidelibus scandali occasio præberetur.

Mortuo Chlodoberto Chilperici Regis filio, *viri lugentes, mulieresque, lugubribus vestimentis induta, vt solet in coniugum exequiis fieri, in hoc funus prodierunt*, vt ait Turonensis. *Turon. lib. 5. Hist. Franc. cap. 34.*

Illud obseruatū dignum est, quod Curopalata in libello de Officiis Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ scriptum reliquit; Imperatorem, mortuo patre, aut matre, aut vxore, aut filio, aut nepote, si Imperatores, seu imperij consortes essent; vestes albas gestasse, quandiu collibitum: deinde, citrinas sine margaritis, καὶ μετὰ ταῦτα λαμπροφορῆσαι, *splendidas vestes induisse. Si verò mortuus esset aut patruus, aut amita ex patre, aut frater, siue Despota dignitate præditus, siue non; aut soror, aut filius* (intellige, qui Imperator non esset) *gestasse vestimenta citrini coloris sine margaritis; & postea etiam cum margaritis. Quo autem tempore albas vestes propter cognatos defunctos Imperator gestat; cæteros omnes non solùm primores, sed & plebeios nigris vestibus vti. Mortui verò propinquos, Imperatore citrina vestimenta ferente, ferre coram Imperatore nigra & per quadraginta dies: postea* ἠέρινα, *aërij coloris, donec Imperator amictum mutauerit: tunc enim ipsos itidem splendidis vestibus amiciri.*

Addit Curopalata; extra prædictorum funera, si quis alius Imperatori sanguine iunctus obierit, eum citrina vestimenta nunquam vsurpare: Si verò Imperatoris cognatus, aut patruus aut consobrinus, aut ἐξάδελφος, nepos ex fratre, amiserit vxorem, aut fratrem

aut filium, eum domi suæ luctui præstitutum tempus, hoc est, nouenos dies transigere, postea atris vestibus indutum ad Imperatoris adorationem, seu venerationem de nocte accedere: Et ab illo tempore extra Palatium ferre *vestes nigras*, in veneratione autẽ Imperatoris, ἠερινάς, aërei seu cærulei coloris, neque enim fas μελανειμονεῖν, *nigras vestes gestare in Palatio*; intellige, extra illud tempus, quo ipse Imperator in luctu versatur.

De tempore luctus, nihil aliud habeo dicere; quam fuisse incertum tam Ethnicis, quam Iudæis & Christianis. Lege Lorinum nostrum in cap. 8. Act. Etiam hodie, non est apud omnes, imo nec apud eosdem, statum tempus luctus.

Caluinus, vt alia, quæ ad funera spectant; sic neque *Caluin. epist. 37.* vestes lugubres æquis oculis aspexit. Consultus enim, quid de vestimentis luctus statuendum esset, respondit; *non esse rem adeo malam, qua tolerari nequeat. Esse defectum seu infirmitatem humanæ politiæ.* Audi eius verba. *Ad secundum articulum, vbi de vestibus luctus, quas vocant, quæritur, non video magnam illic hærendi occasionem. Res enim per se non ita mala est, vt tolerari non possit, quemadmodum & alij quidam defectus, seu infirmitates humanæ politiæ. Quia igitur non ita præcisè requiritur, vt ab illis rebus abstineatur; si propter illarum neglectum scandalum, vel turba, vel molestia quæuis creari possit, nolim hac in parte auctor esse, abscisa cuiusdam seueritatis & austeritatis. Monitum simul vnumquenque velim, vt omnes illas pompas, excessus, & tot illa minutula quædam ita caueat, vt agnosci inde possit eos, qui in Dei schola profecerint, non delectari istiusmodi rebus, sed illis vti quasi perfunctoriè, vt sese ad vsum receptum accommodent.*

In

Digitized by Google

In Synodo quadam Caluinistica Anno Redemptoris M. D. LXXVIII, habita, statuitur cap. 132. *Consuetudo lugendi defunctos vestibus lugubribus non est publicè reprehendenda: Si autem hac in re vel vlla superstitio vel superbia apparuerit, de illa homines admonebuntur, non tamen pœna longiore in talibus progredientur.* Nimirum vestes istæ Caluinianis oculis inuisæ sunt; quia indicant viuentium curam & sollicitudinem pro mortuis, vt ad quietis & beatitudinis sedem transferantur: neque enim aliam ob caussam, quidquid ore præ se ferant, vestes lugubres toruis oculis adspiciunt. *Schultingius. lib. 9. Hierarch. Anacriseos.*

Finis libri primi.





DE FVNERE CHRISTIANO.

LIBER II.

Qui est de elatione funeris ad sepulturam, & ritibus annexis.

CAPVT PRIMVM.

Qui mortuum extulerint?



MNIBVS domi peractis ad funeris exportationem procedebatur. Hic iterum luctus & luctus argumenta; de quibus iam libro primo; neque repeti debent, quia eiusmodi adiuncta sunt, quæ funus antecedunt, comitantur, & subsequuntur.

Illud non omittendum, fœneratores seu vsurarios, pestilens hominum genus, funeri aliquando intercessisse, ne mortui terræ mandarentur, nisi prius summa creditâ resolutâ & depensis vsuris; aut certè datis vadibus seu fideiussoribus. Notauit, irrisit & detestatus est hanc Prædonum improbam & ab omni humanitatis sensu

ſenſu remotam conſuetudinem S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 10. cuius verba elegantiæ plena ſubiiciam.

Quoties vidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fœnus expoſcitur. Quibus ego acquieui libenter, vt ſuum conſtringerent debitorem, vt electo eo, fideiuſſor euaderet. Hæ ſunt fœneratoris leges. Dixi itaque, tenete reum veſtrum: & ne vobis poſsit elabi, domum ducite, claudite in cubili veſtro carnificibus duriores. quoniam quem vos tenetis, carcer non ſuſcipit, exactor abſoluit. Peccatorum reos poſt mortem carcer emittit, vos clauditis. Legum ſeueritate defunctus abſoluitur; vobis tenetur: certè hic ſortem ſuam iam memoratur impleſſe. Non inuideo tamen, pignus veſtrum reſeruare. Nihil intereſt inter funus, & fœnus: nihil inter mortem diſtat & ſortem. Perſonat funeris vlulatum fœnoris vſura, nunc verò capite minutus eſt, quem conuenitis, vehementioribus tamen nexibus alligate, ne vincula veſtra non ſentiat; durus & rigidus eſt debitor, & qui non iam nouerit erubeſcere. Vnum ſanè eſt, quod non timere poſsitis, quia poſcere non nouit alimenta.

Iuſsi igitur lauari corpus, & ad fœneratoris domum exequiarum ordinem duci, ſed etiam inde plauſorum mugitu talia perſonabant. Ibi quoque funus eſſe crederes, ibi mortuos plangi putares. Nec fallebat ſententia, niſi quod plures conſtabat illic eſſe morituros. Victus religionis conſuetudine fœnerator, (nam alibi ſuſcipi pignora etiam iſta dicuntur) rogat, vt ad tumuli locum etiam reliquiæ deferãtur. Tunc tantum vidi humanos fœneratores, grauari me: tamen ego eorum humanitatem memorabam proficere, ne poſtea ſe quererentur fraudatos eſſe, donec feretro colla ſubiecti ipſi defunctum ad ſepulchra deducerent, grauiore mœrore deflentes pecuniæ ſuæ funus. Hæc pulchrè ſimul & feſtiuè S. Ambroſius.

 Simi-

Similis improbitas & inhumana importunitas Iustiniano Imp. occasionem dedit, vt LX. Nouellam ederet. *Quidam enim non dubitauit etiam mortuo facere contumeliam; primum insistens ne sepultura fieret, deinde postquam agrè cadauer domo efferri consensit, apprehenso feretro, publica funeris elationi obstitit, neq; se prius remissurum ait, quàm abstulisset debitum, interim cum accepisset, qui eam pecuniam constitueret, vix tandem demortuum terræ mandare permisit.*

Cui sceleri hanc pœnam Iustinianus constituit, vt reus *actione omnino excidat, siue eam iustam, siue iniustam habeat,* inquit Iustinianus, *& quantum debere eum dixerit, tantundem alterum insuper exigitor & dato iniuria affectis hæredibus: tum verò & publicationem in tertiam bonorum partem sustineto,* &c. *& infamia percellitor. Quem enim hominis natura pudore non suffudit, is profectò dignus est, vt & in bonis, & existimatione & omnibus aliis mulctetur.* Cognitionem verò huius criminis variis iudicibus committit Imperator; *nam cum contumelia ipsi naturæ illatæ communes sint, & ad omnes pertineant, conuenit etiam, vt omnibus in commune iudicibus in his prohibitio permittatur & vindicta.* Ad rem.

S. Ignat epist. 12. ad Antioch. Qui funera olim curabant & efferebant, κοπιῶντες, hoc est, *laborantes* à S. Ignatio nominantur. A S. Epiphanio in Compendiaria doctrina, *Copiatæ*, à κοπιάω, quod est, *Laboro.* κοπιαταὶ οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων; *qui mortuorum corpora obuoluunt, & ad sepulturam adornant:* imò & efferunt; de quibus etiam Iustinianus Nouell. 43. & 59.

Vide Lorinum in cap. 5. Act. v. 6.

Instituit autem Constantinus Magnus, vt Constantinopoli essent 950. officinæ immunes ab omni publico mune-

munere ac vectigali, quæ suppeditarent *lecticarios* seu *Decanos*, (quibus Nominibus Græcus quoque Nouellarum textus vtitur) hoc est, *Libitinarios* seu *Copiatas* seu *Copiastas*, mortuis efferendis & sepeliendis. Quam Constantini seu institutionem seu constitutionem cõfirmarunt Honorius & Theodosius Impp. L. *Nonplures*, Cod. *de sacrosanctis Ecclesiis*. Earum tamen numerum auxit postea Anastasius Imp. centum supra mille officinis constitutis: cuius vestigia secutus Iustinianus totidem officinas Nouellâ 43. & 59. statuit, quarum aliæ maiori Ecclesiæ præstabant *Lecticarios*, *Decanos* seu *Copiatas* & *Fossarios*. Aliæ, pecunias.

His certi reditus destinati erant, ne quid exigerent ab illis, quorum funera curabant; Et quia ad Iustinianum querela peruenerat, *defunctorum funerationes absq; pacta mercede non celebrari, quin potius amarulentè merces exigi*; conatus est huic malo remedium adhibere, promulgatâ LIX. Nouellâ: in qua definit, quantum quibusque in funere procurando occupatis, atque adeo ipsis *Lecticariis* seu *Copiatis* ex designatis reditibus tribuendum sit. Etsi non prohibet, sed permittit, vt si quis plures siue ex *Asceteriis*, siue ex aliis funeri interesse velit; plures aliunde ex aliis *Asceteriis* adsciscat, attamen sumptibus & impensis modum ponit; vt & tunc, si quis magnificentius funus optet, & mortuum lectica seu feretro *Studij* aut *Stephani*, aut illo, *quod auro intertextum in maiore Ecclesia asseruatur*, efferre velit; quibus omnibus certos impensarum limites præstituit.

Porro ad horum *Copiatarum* seu *Lecticariorum* formam institutas esse Romæ, & ex hoc traduce, alibi, sodalita-

dalitates *Mortis*, quibus mortuis sepeliendis præcipua cura; rectè monuit Baronius Tom. 3. Anno CCC. XXXVI. & Lorinus noster in caput quintum Actuum Apostolicorum.

Bethunia oppidum est Artesiæ apud Belgas, in quo sodalitas est ciuium, quam partim ab effectu, partim ab auctore, CHARITATEM ELIGIANAM nominant; qua fortassè nihil habet vniuersa Europa neque laudabilius, neque Reipublicæ salutarius. Græcè non ineptè Νεκροφορίαν ab exportandis cadaueribus siue funeribus efferendis nuncupare possis: qua fit, vt nemo hîc, cuicuimodi sit conditionis, supremo funeris & sepulchri honore careat. Auctor, seu potius suasor huius instituti fertur fuisse S. Eligius, vetus ille Flandrorum Apostolus, idemque Nouiomensis ac Tornacensis Episcopus; qui anno M. C. LXXXVIII. eodem temporis & horę articulo, duobus fabris ferrariis, vni Bethuniæ, alteri Beuriaci (inter quæ interuallum est passuum amplius mille) sub noctem apparuisse, & vt cereum illum toto Belgio memoratissimum (qui etiamnum visitur, pompis solennibus circumfertur, ad sacra accenditur, neque vlla tamen sui parte deperire perhibetur) formarent, commonefecisse proditur. Quam rem cum diligentissima inquisitione cognouisset Rogon ad Diui Præiecti, in suburbiis occiduis Bethuniensibus, Prior, singulari vitæ sanctimonia præditus, suasor fuit, vt eiusmodi sodalitas, quædam velut ἑταιρεία καὶ φρατρία, charitatis & Christianæ in defunctos pietatis alumna, institueretur. Ad cuius legitimam & politicam administrationem, quotannis XXI. viri, ex honestissimo ciuium ordine deliguntur, qui communibus suffragiis Præpositum & quatuor viros creant, quos Maio-

Maiores nominant, qui ſe duces præbeant, & cæteros, pro ſua auctoritate ſeſe ſubſequi cogant in ędium mortualium penetralia: inde cadauera exportare, & ſandapila ad ſepulturam efferre, quocunque morbi genere, etiam peſtilenti exſtincta, modò in ſodalitatem nomina dederint, & intra ſtatos opidi limites mortui deprehendantur. Et annis iam ab hinc quadringentis vſu & longinqui temporis periclitatione, eſt compertum, nihil vnquam contagionis ex adfectis corporibus contraxiſſe eos, qui tam pium Chriſtianæ charitatis munus exercerent. Quod quidem beneficium Bethuniani ciues, cum immenſæ DEI clementiæ, tum aſſiduæ B. Eligij, tutelaris Diui, apud eundem pro ſe ſuaque ciuitate interceſſioni, meritiſſimè acceptum referunt. Hæc Aubertus Miræus Canonicus Antuerpienſis in Notatione ad Auctarium Aquicinctinum, additum ad Anſelmi Gemblacenſis Chronicon.

Neque ſilendum videtur, quod S. Epiphanius Hæres. 76. de Georgio Arianorum Alexandriæ Epiſcopo ſcriptum reliquit; qui vſque adeo ſordidè auarus fuit, vt etiam munus efferendorum funerum ad ſe rapuerit, non humanitatis & charitatis, ſed lucri gratia. Audi verba S. Epiphanij. *Ὡς καὶ κλίνας ἐπενόησε τοῖς σώμασι τῶν ἐξοδευόντων ποιῆσαι ἐν ἀριθμῷ τινι, καὶ ἄνευ τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἐπιτεταγμένων οὐκ ἐξεκομίζετο σῶμα τῶν τελευτώντων. ἐπιπλεῖστον δὲ τῶν ξένων οὐ διὰ φιλοξενίαν, ἀλλὰ καθὼς ἔλεγον, διὰ πορισμὸν βιώδη. εἴ τις γὰρ ἔθαπτε δι' ἑαυτοῦ σῶμα, κίνδυνον ὑφίστατο. οὕτως δὲ ὑφ' ἑκάστου τῶν ἐκφερομένων κέρδος τι αὐτῷ προσεφέρετο.*

Quæ verba ſic reddidit Interpres: *Etenim & lecticas excogitauit corporibus eorum, qui efferuntur, ad numerum certum facere, & ſine his, quæ ab ipſo ordinata erant, non efferebantur corpora mortuorum, maximè peregrinorum: non*

propter hospitalitatem, sed, velut dixi, quaestus gratia. Si quis enim sepeliisset per se ipsum corpus, periculum subibat: sic autem à singulis, qui efferebantur, lucri aliquid ipsi accedebat.

Clericorum itidem officium aliquando fuisse videtur, vt mortuos sepelirent. S. Hieronymus de Muliere septies icta. *Clerici, quibus id officij erat, cruentũ linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant.* Fossarios vocat Auctor Epist. de septem ordinibus Ecclesiae Tom. 9. Operum S. Hiero. *Qui in similitudinem Tobiae sancti mortuos sepelire admonentur, vt exhibentes visibilium rerum curam, ad inuisibilium* (curam) *festinent.*

Etsi autem *Copiatae* seu *Lecticarij* constituti erant, qui funus efferrent, sępe tamen honoratissimi quique vel ex defuncti cognatis, vel alij, hoc munus obibant. S Gregorius Nyssenus de funere Macrinae Virginis sororis suae. *Ego feretrum subiens, illum,* (Araxium Episcopum) *aduocaui,* vt alteram partem *sustineret: posteriores verò feretri partes subierunt alij duo de Clero insignes viri.*

S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulae. *Translata Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subiicientibus, cum alij Pontifices lampades cereosque praeferrent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia spelunca Saluatoris est posita.*

Tom. 1. Surij. In vita S. Fulgentij. *Mane verò postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exsequias venit, sacerdotum manibus ad Ecclesiam ciuitatis, quae Secunda dicitur, vbi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum.*

De

Digitized by Google

De Filimatia matrona Sidonius lib.II.Epist. 8. *Hanc tamen, si quis haud incassum honor cadaueribus impenditur, non Vespillorum sandapilariorumq́; ministeria ominosa tumulauêre: sed cùm Libitinam ipsam flentes omnes exteri quoq́; prensitarent, remorarentur, exoscularentur, sacerdotum propinquorumq́; manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similior illata est.*

S. Gregorius Nazianz. Orat. in laudem S. Basilij. *Efferebatur vir sanctus sanctorum manibus exaltatus.*

Erant autem plerunque quatuor tantum, qui feretrum ferebant, vt vides in funere B. Macrinæ; S. Ambrosius in cap. 7. Lucæ filium illum vnicum viduæ, quem Christus excitauit, à quatuor *portitoribus* ad tumbam elatum ait; qui quidem numerus absolutè sufficit, vt & hodierni temporis consuetudo probat. Interdum tamen vel ob grauitatem oneris, vel ob magnificentiã sex vel octo lecticarij adhibebantur; quod etiam hac ætate interdum fit, præcipuè in nobilium funeribus.

CAPVT II.

De feretris, modo & tempore, quibus elati mortui.

FERCVLVM, quo efferebantur vulgo *feretrum* dicitur, à ferendo: itemque κλίνη, seu lectica. S. Gregorius Nyss. orat. in Placillam Imperatricem. *Cum auro purpureaq́; veste velata Imperatrix in vrbem portaretur, lectica autem erat, qua portabatur*, &c. Idem orat. in funus Pulcheriæ: *Spectaculum omnibus propositum erat sacer ille flos, qui in aurea lectica efferebatur.*

Constantinopoli tria erant feretra, cæteris pretiosiora, quæ non nisi opulentiores & magnificentiores in suorum funeribus vsurparent; *Studij* nimirum, *Stephani, & maioris Ecclesiæ, quod erat auro intertextum*, vt supra ex Iustiniano audiuimus. Et hæc feretra aureis aliquando velamentis tecta fuisse indicat S. Gregorius Nyssenus orat. in funus Pulcheriæ. *Non mihi in illo tempore, (forsitan, ne cateris quidem qui tunc aderant) visum est aurum naturali suo decore nitescere*; quin etiam lapidum fulgores *& aurei panni, & argenti splendores, & lumen ignis, quod & multum & copiosum ex transuerso, vtrinque continentibus cereis lampadibus prætendebatur; omnia luctu simul nigrescebant; nihil omnium rerum communis mæstitia expers erat.*

Efferebantur autem corpora in feretro interdum quidem tecta; interdum conspicua: Nyssenus de Placilla Imperátrice. *Cum auro purpureaq; veste velata Imperatrix in vrbem portaretur, atque omni ordine, omni ætate ex vrbe profusa, quidquid soli aëri aperto expositum esset, à multitudine coarctaretur; atq; omnes etiam dignitate excellentes pedibus funus prosequerentur, meministis prorsus, vt sol nebulis suos radios obtegeret, ne forsitan puro lumine videret Imperatricem cum eiusmodi habitu in vrbem inuehentem, non in curru quodam, aut rheda auro reuincta, pro regio ornatu satellitibus se stipantibus, latam: sed in loculo tectam, formam illam tristi velamento occultatam, spectaculum acerbum pariter & miserabile: quæ omnibus occurrentibus lachrymarum materies proposita esset: quam omnis populus, qui confluxerat, tam peregrinus, quàm domesticus non faustis acclamationibus, sed lamentationibus introeuntem excipiebat.*

Feretra quibus Pontificum Romanorum corpora ad sepulturam exportabantur, Dalmaticis operiebantur,

tur, quas populus, pietatis & reuerentiæ studio & affectu minutatim conscindebat, & pro sacris reliquiis asseruabat. Quid S. Gregorius, Christianæ humilitatis cultor eximius? Edixit ne hoc amplius fieret. Verba edicti sunt ista lib. 4. Regist. Epist. 44. *Sicut indignos nos pro beati Apostoli reuerentia mens fidelium veneratur; ita nostram infirmitatem decet semetipsam semper agnoscere, & impensè sibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium, huius sedis rectoribus mos vltra meritum erupit, vt cum eorum corpora humanda deferuntur, hac Dalmaticis cōtegant, easdem Dalmaticas pro sanctitatis reuerentia sibimet partiēdas populus scindat, & cum adsint multa à sacris corporibus Apostolorum, martyrumq́ue velamina, à peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reuerentiâ reseruatur; de qua re præsenti decreto constituo, vt feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere, sedis huius presbyteros ac diaconos censeo. Si quis verò ex eorum ordine hac curare neglexerit, anathema sit.*

Quod de Dalmatica in particulas discerpta S. Gregorius memorat, id in aliorum itidem sanctitate præstantium virorum funeribus accidit. S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Basilium. *Omnes operam dabant, partim vt fimbriam arriperent, partim, vt vmbram, partim vt feretrum, quo sanctus portabatur, vel solum attrectarent, partim vt propius ad eos, qui corpus ferebant, accederent; partim, vt aspectu solo fruerentur, tanquam eo quoq́ue vtilitatis aliquid afferente.* Qui locus indicare videtur corpus S. Basilij aperta facie exportatum fuisse. Quo schemate etiam hoc æuo Græci suos sepeliunt: neque hoc tantū; sed & non leui quadam vanitate vultus defunctorum pigmentis pingunt & fucant, vt formosiores appareãt.

De S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano Nicetas in eius vita. *Adeo creuit eius veneratio in populu, vt panes, qui super scamnum, in quo iacebat, positi fuerant, pro reliquiis sumerent, & vestē, qua desuper posita erat, sexcentis diuisam particulis, pro sanctificatione inter fideles diuiderēt.*

Ad tempus, quod attinet; aliquando funera noctu ducebantur, præsertim persecutionis tempore; aliquādo interdiu; maximè cum Ecclesia pace & tranquillitate frueretur. Et Iulianus quidem Apostata lege vetuit, ne defuncti interdiu sepelirentur; idque ex odio in Christianos, quod hanc sanctionem, quæ exstat in Codice Theodosiano, tit. de sepulch. violat. ex pectore Iuliani expressit. *Secundum illud est, quod efferri cognouimus cadauera mortuorum per confertam populi frequentiam: & per maximè insistentium densitatem; quod quidem oculos hominum infaustis incestat aspectibus. Qui enim dies est benè auspicatus à funere? aut quomodo ad deos, & templa venietur? Ideoq. quoniam & dolor in exequiis secretum amat; & diem functis nihil interest, vtrum per noctes, an dies efferantur, liberari conuenit populi totius aspectus; vt dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur.* Hæc Iulianus. Quæ non tam sanxisse videtur, quod funeris occursus ominosus ac infaustus haberetur, quàm quia oderat pios ritus, quibus Christiani suorum corpora sepeliebant.

Porrò in elatione funeris vix est, quem non tangant salutares de morte & humanarum rerum imbecillitate cogitationes; non tamen semper constantes. *Cum efferuntur mortui*, inquit S. August. serm. 120. de diuersis; *cogitatur mors & dicitur: Va misero, talis fuit, heri ambulabat, aut ante septem dies illum vidi, illud atq. illud mecū locutus est, nihil est homo. Murmurant ista. Sed fortè cum mor-*

Digitized by Google

mortuus plangitur, cum funus curatur, cum exequiæ præparantur, cum effertur, cum itur, cum sepelitur, viget iste sermo: Sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur. Redeunt illæ curæ mortiferæ; obliuiscitur, quem deduxerit, de successione cogitat decessurus, reditur ad fraudes, ad rapinas, ad periuria, ad vinolentiam, ad infinitas corporis voluptates, nō dico perituras, cum exhaustæ fuerint, sed hauriuntur pereuntes, & quod est perniciosius, de sepulto mortuo argumentum sepeliendi cordis assumitur, & dicitur; Manducemus & bibamus, cras enim morimur.

Contingit demum plerumque id, quod S. August. lib. 50. Homiliarū Homil. 28. scriptū reliquit. *Quotidie moriuntur homines, & qui viuunt, deducunt illos, exequias celebrant, & vitam sibi promittunt. Nemo dicit corrigam me, ne cras hoc sim, quod iste, quem deduxi.*

S. Ambrosius in cap. 7. Lucæ explicans funus, quod ex ciuitate Naim efferebatur, ea, quæ in elatione funeris geruntur, mysticè interpretatur; *Quid aliud*, inquit S. Ambrosius, *nisi quasi in quodam feretro, hoc est, supremi funeris instrumento, iacemus examines, cum vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritus labe, puræ lucis vacuus alit mentem? Hi sunt nostri funeris portitores. Sed quamuis supremæ mortis spem vitæ omnis aboleuerint, & tumulo proxima iaceant corpora defunctorum, verbo tamen DEI iam moritura resurgunt cadauera; vox redit, redditur filius matri, reuocatur à tumulo, eripitur à sepulchro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. Sepulchrum enim patens est guttur eorum, vnde verba mortua proferuntur. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo resurges, si audias Verbum DEI.*

CAPVT

CAPVT III.

Frequentia populi ad funera concurrentis; eaq; in processionis formam redacta.


ÆPE frequentissimus populus ad funera, præsertim sanctitate aut dignitate excellentium hominum, confluebat. S. Gregorius Nazianzenus orat. in laudem S. Basilij ad sepulturam elati. *Plena erant fora, porticus, duplicia & triplicia tabulata hominum, illum deducentium, praeuntium, sequentium, affectantium, seq; inuicem conculcantium, multa millia hominum omnis generis & ætatis ad eam diem incognita: psalmodia luctu interrumpebantur ac vincebantur, patientia doloris magnitudine frangebatur. Certabant nostri cum exteris, cum Ethnicis, Iudæis aduenis, ijq; vicissim nobiscum, vtris vberiores lachrymæ vberiorem vtilitatem afferrent. Vt finem faciam, in periculum etiam luctus desinit, pluribus nimirum hominibus illa propulsionis & protrusionis violentiâ extinctis, atque hinc simul cum eo digressis: qui etiam mortis nomine felices existimati sunt, vt ipsius itineris comites, atq; (vt feruentiorum quispiam dixerit) funebres victimæ.*

S. Gregorius Nyssenus orat. in S. Meletium Episcopum Antiochenum. *Exponite bonas narrationes, dicite miraculum, cui fides derogetur: quomodo maris in modum condensati, innumerorum hominum populus, vnum continuum corpus vniuersi erant, tanquam aqua quædam circa tabernaculi pompam æstuantes: quomodo præclarus Dauid multifariam multisq; modis in innumeros ordines sese distribuens inter diuersæ simul & eiusdem linguæ homines circa tabernaculum tripudiabat & saltabat,* &c. *Exponite studium totius*

totius populi, Apostolorum contubernium, quomodo sudaria faciei eius ad præsidium atque custodiam Fidelium discerpebantur. Adiiciatur orationi etiam Imperator mærens ob calamitatem, & è solio exsurgens totaq; ciuitas vna cum pompâ sancti transiens: & consolamini vos inuicem in sermonibus istis.

Vetus monumentum de Agapeti Pontificis rebus gestis Cōstantinopoli apud Baroniū Anno D.XXXVI. hæc de funere ei à Constantinopolitanis instituto prodidit. *Necdum spiritum exhalauerat, nec dum debitam Christo reddiderat animam, & iam fama volans tanti prænuncia luctus, totius Orbis populos, quibus ciuitas repleta erat, ad exequias conuocabat. Aderant diuersarum prouinciarum numerosi Episcopi, & sacerdotum, monachorumq; chori penè Vrbem repleuerant, Tota ad funus eius Byzantium turba cōuenit: sacrilegium putabat, qui non tali Pontifici vltimum reddidisset officium: sonabant Psalmi, & excelsa tecta domorum reboans in sublime Alleluia quatiebat,* &c.

Hinc iuuenum choros, hinc senum videres. Quæ carmina, laudes sacerdotales & facta feruntur? Nemo quandoq; totius Orbis vel Episcoporum, vel Imperatorum vita defunctus, inter tantas exequiarum copias funeratus visus est. Explorate procedentium & cateruatim in exequiis eius multitudinem fluctuantem: non platea, non porticus, non eminentia desuper tecta capere poterant prospectantes. Tunc suos in vnum populos vrbs regia prospexit. feruebant omnes ibi in gloriam defuncti sacerdotis. Quæ ex D. Hieronymi verbis concinnata esse, intelliges, cum paulò post ipsa Hieronymiana verba legeris.

Euthymius in vita S. Sabæ. *Cum mors sancti breui tempore in omnem partem peruasisset, cucurrit quidem ad sacrū illius corpus multitudo innumerabilis, cucurrit quoque vni-*

uersus ordo monachorum, & quicunque erant Episcopi; qui cum, quo par erat, ornatu, corpus composuissent, hymnos & cantica ei, de more canentes piè admodum & sanctè inter duas Ecclesias in media Laura deponunt, vbi cum ille esset superstes, vidit columnam lucis.

De funere S. Chrysostomi Palladius in Dialog. *Tanta verò multitudo Virginum, tantumq; monachorum, & honestioris vitæ testimonio insignium in Syria & Cilicia, & Ponto & Armenia agmen accurrit, vt putarent plurimi ex condicto eos aduenisse. Ita sepultus, laudibusq; velut athleta victor honoratus est, corpusculo vna cum Basilisco in eâdem Ecclesia condito.*

De funere S. Martini Sulpicius Epist. 3. *Iam verò in obsequium funeris, credi non potest, quanta hominum multitudo conuenerit. tota ciuitas obuiam corpori ruit, cuncti ex agris atq; vicis, multiq; ex vicinis etiam vrbibus affuerunt. O quantus luctus omnium? quanta præcipuè mœrentium lamenta monachorum? qui eo die ferè ad duo millia conuenisse dicuntur, specialis Martini gloria. Eius exemplo in Domini seruitutem stirps tanta fructificauerat. Agebat nimirum ante se pastor exstinctus greges suos, sancta illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeritorum laborum senes, aut iurato Christi in Sacramenta tirones. Tum virginum chorus fletu abstinens præ pudore, cum latandum potius illi esse sentiret, quem iam suo Dominus gremio confoueret, quàm sancto dissimulabat gaudio quod dolebat: siquidem fides flere prohiberet, gemitum extorqueret affectus. Etenim tam erat sancta de illius gloria exsultatio, quàm pia de morte confusio.*

De funere S. Paulæ D. Hieronymus in Epitaphio. *Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit, quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit?*

Quam

Quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant, qui non tali fœmina vltimum reddidisset officium. Vidua & pauperes, in exemplum Dorcadis, vestes ab ea prabitas ostendebant. Omnis, inquam, multitudo matrem & nutriciam se perdidisse clamabat. quodq; mirum sit, nihil pallor mutauerat faciem: sed ita dignitas quadam & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam, sed dormientem.

Idem in Epitaphio Fabiolæ. *Quantum haberet viuentis Fabiola Roma miraculum, in mortua demonstrauit. Necdum spiritum exhalauerat, necdum debitam Christo reddiderat animam: Et iam fama volans, tanti prænuncia luctus, totius Vrbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Psalmi & aurata tecta templorum, reboans in sublimè quatiebat alleluia. Hic iuuenum chorus, ille senum qui carmine laudes Femineas & facta ferant. Non sic Furius de Gallis, non Papirius de Samnitibus, non Scipio de Numantia, non Pompeius de Ponti gentibus triumphauit. Illi corpora vicerant; hac spiritales nequitias subiugauit. Audio pracedentium turmas, & cateruatim in exequiis eius multitudinem confluentem. non platea, non porticus, non imminentia desuper tecta capere poterant prospectantes. Tunc suos in vnum populos Roma conspexit: fauebant sibi omnes in gloria pœnitentis. nec mirum, si de eius salute homines exultarent, de cuius conuersione angeli latabantur in cælo.*

Similia de concursu ad funera Pulcheriæ & Placillæ Imperatricis scripsit Gregorius Nyssenus duabus orationibus, quarum altera est in Pulcheriam, altera in Placillam. Nyssenus de funere Macrinæ Virginis. *Famâ nescio quomodo vndique diffusâ, finitimi ad funus confluxerunt, adeò vt concurrentes vestibulum non caperet. Cum igitur nocturna peruigilatio, vt in Martyrum celebritate, ca-*

nendis Psalmis perfecta esset, & crepusculum aduenisset, confluentium vicinis è locis omnibus virorum & mulierum multitudo, psalmorum decantationem fletibus interpellabat.

Corippus lib.3. de Iustiniani funere. *Omnis in exequias sexus conuenit & atas. Quis memorare potest tanta miracula Pompa?*

De Huberto Episcopo Leodiensi, quando Leodium iam exanimis reportabatur. *Per omne corpus reuersionis pia oues exuuiasq; sui audientes deferri pastoris ex omnibus villis & locis confluentes, vltimum valedicturi adueniunt. Omnis atas, vterque sexus,* &c. *dolorem lachrymis cōfessi, accedentes atq; eminus salutantes, pugnis etiam pectora verberantes,* &c.

De eodem, quomodo Leodij exceptus fuerit. *Plebis multitudo gradusq; omnis Ecclesiasticus cum reuerendo habitu obuiam sanctis processère exequiis, ferentes Crucis vexilla, sanctorumq; patrocinia* (id est, reliquias) *nec non candelabra lumine radiantia; sed & aromata in thymiateriis redolentia, psallentes, qua moris est, talibus officiis decantari, carmina.*

Hæc tamen multitudo funeri operam dans coufusa non erat, & indigesta; sed in processionis formam redacta: Hinc processiones funebres, quarum exempla multa recensui libro primo de Processionibus cap. 13. Fuisse autem in ordinem & certa agmina plebem in funeribus dispositam, planum nobis facit Nyssenus in vita S. Macrinæ. *Confluentem populum in genera distribuens, mulierumq; multitudinem admiscens Virginum choro, virorum autem turbam adscribens Monachorum cætui, vnum quendam studui ex vtriusq; aptum concinnumq;, tanquam in Psalmos canentium congressu, ex communi omnium concen-*

tu

tu aptè coniunctum ordinem constituere. Quis est iste *aptè connexus ordo*, nisi processio?

S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ. *Translataq́ Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subiicientibus, cum alij Pontifices lampades cereosq́ præferent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia spelunca Saluatoris est posita.* Vbi manifestam processionis formam vides.

De funere Agapeti Pontificis Auctor Anonymus. *Exploratè procedentium & cateruatim in exequiis eius multitudinem fluctuantem; non platea, non porticus, non eminentia desuper tecta capere poterant prospectantes.* Coripus de funere Iustiniani.

Hinc Leuitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus; vox æthera pulsat.

Et quamuis funus comitantium ordinata series esset; sæpe tamen eueniebat, vt nihilominus innumera spectatorum turba omnes vias, per quas funus ducebatur, complerent; ita vt ordo vix seruari posset. Nyssenus de Macrinæ Virginis funere. *Sensim procedebatur, cum & qui præibant, pedetentim incederent, & nos item gradatim sequeremur. Etenim cum frequens populus feretrum circumstaret, nec tam mirabili & sacro spectaculo posset expleri, non erat facilè nobis iter facere.*

Nazianzenus de funere S. Basilij. *Plena erant fora, porticus, duplicia & triplicia tabulata hominum illum deducentium, praeuntium, sequentium, affectantium, seque inuicem conculcantium,* &c.

Eusebius lib. 4. de vita Constantini Magni cap. 70. de funere eiusdem Imperatoris. *Præibant turmatim militum cohortes, infinita hominum turba sequebatur. Imperatoris funus hastatis & armatis militibus cingebatur.*

Porrò, vt sancti Patres, pudicitiæ vindices, teneram Virginum ætatem ab aliis publicis congressibus; ita & à funerum deductione aliquando arcuerunt, ne in discrimen castitatis perdendæ inciderent. Dico, *aliquãdo*. Nam Virgines semper à funeribus deducẽdis exclusas fuisse, à vero abit, & vel vnicum B. Macrinæ funus hoc refutat; vt de Ascetriis Constantinopolitanis nihil dicam. S. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio. *Iam & Virgini oportet funebres pompas & publica peruigilia interdicta esse: nouit enim, nouit ingeniosissimus serpens ille, vel per bona opera suum ipsius virus disseminare. Propterea virginem oportet vndecunque tanquam muro, circumseptam esse, ac toto anno per rarò domo egredi: idq; demum, cum inexcusabiles, & necessaria vrgebunt caussa.*

Sed & nouæ nuptæ aliquando arcebantur. οὐ γὰρ οἶμαι, inquit Synesius Epist. 3. νομίζεται νυμφευτρίας βαδίζειν ἐπ' ἐκφοράν. *Non enim, opinor, moris est, vt noua nupta ad funus conueniat.*

Nec illud prætereundum equos interdum saccis seu operimentis lugubribus amictos in pompa funebri ductos esse, vt & hodie fit in Imperatorum, Regum ac Principum funeribus. Testatur id S. Chrysost. Hom. 3. ad Populum Antiochenum. *Diuite aliquo mortuo nõ seruos solos & ancillas, sed & equos necessariј saccis amicientes, & agasonibus tradentes, ad sepulchrum ire iubent.*

Etiam Lutherus cum processione ad infaustum tumulum deportatus est: Et idem hodie mos apud Lutheranos durat, præsertim in opulentiorum funeribus.

Vide librum 1. de sacris Processf. cap. 13. vbi processio funebris Lutheri fusè describitur.

CAPVT

CAPVT IV.

Num Caluiniſtis fas ſit Catholicorum funera deducere ac comitari.

HAc de re interrogatus Caluinus, in hanc ſententiam reſcripſit Epiſt. 374. *Participare etiam precibus, quæ fiunt pro mortuis, hoc non aliud eſſe poteſt, quam tantundem derogare vnico Chriſti Domini noſtri ſacrificio, quando purgatorium ſolis humanis ſatisfactionibus nititur. Videte igitur, an illud ſit excuſabile, & an vbi quis ita ſcandalizauerit Eccleſiam, diſſimulari debeat, aut pro leui delicto tolerari*, &c. Hæc Caluinus ea ſolum de cauſa ſcripſit, quia timuit, ne ex omnibus inſitò quodam ſenſu ſectatores ſui in vota preceſque pro defuncto prorumperent, illudque etiam seriò apud animum ſuum perpenderent, quam pio & ſancto ritu Catholici terræ mandentur; contra, quàm vano & profano, Lutheriſtæ & Caluiniſtæ: hacque tam ſalubri cogitatione excitati; ſaniora conſilia capeſſerent.

Idem Caluinus *in libello de vitandis ſuperſtitionibus*, cæteras inter cauſſas, quibus ſuadet, vt Euangelio ſuo imbuti, prouincias Catholicorum deſerant, etiã hanc reddit: *Nemo noſtrum eſt*, inquit, *qui non fateatur, ſolennes exequias mortuorum, quales fiunt in Papatu, adiunctis Miſſis, & aliis acceſſionibus: item Anniuerſaria, meras eſſe abominationes*, &c. Si quem aut ex cognatis, aut ex amicis, aut ex vicinis mori contingat; is qui ſe Chriſtianum vocat (hoc eſt, Caluinianus) *veniet vna cum aliis ad funus proſequendum, Miſſis intererit, & ſimulabit cum aliis, mortui animam ſe velle redimere. Quo hic prætextu ſe teget, niſi ſacco madido, vt fert prouerbium? Quod ſi patris agan-*

tur exequia, aut matris, non tantum approbabit hac sacrilegia, sed etiam sua pecunia redimet.

Vbi iterum cernis, quam morosè Caluinus suis faciat potestatem comitandi Catholicorum funera; & quam hanc abscisè deneget, si sacrificio Missæ simul interesse oporteat; Et magis adhuc, si quis ex ære suo sacerdotibus diuinam hostiam pro salute defuncti immolantibus, satisfacere debeat. Quæ diligenter sunt obseruanda, ne ipsi etiam Catholici, non dicam in funeribus hæreticorum deducendis, sed in concionibus, quæ deductioni interdum annectũtur, audiendis adeo sint faciles, ne dicam, inconsiderati, sed par pari referant; Et inhumanitatem solida & Catholica grauitate compensent; quandoquidem sectarij tam sunt seueri & rigidi, vt suos non nisi iniquis oculis intueantur, si quando Catholicorum vel funeribus vel exequiis intersunt. Nec iure poterunt cum Catholicis expostulare, si Hæretico Prædicanti, funebrem concionem, vel potius vociferationem instituenti mercedem persoluere nolint, cum Caluinus nullo pacto permittat, vt sacerdoti pro anima defuncti sacratissimam hostiam immolanti à Caluinianæ tribus contribulibus dependatur.

Qua in parte longè benigniores sunt Catholici, ex quibus præstantissimus Doctor Nauarrus lib. 5. Consil. tit. *de hæreticis* Consil. 12. secundæ Edit. docet, *non peccare eos, qui deducunt funus hæretici non denunciati pro excommunicato, ad sepulturam profanam, solo affectu humanitatis, sine intentione fauendi hæreticis, quatenus sunt hæretici, quia nec communicant excommunicato denunciato, nec sepeliunt eum in loco sacro, sed faciunt actum per se licitum, qui potest licitè fieri alio respectu humanitatis naturalis, vel co-*

gnatio-

gnationis, vel locationis opera; Et ita non censentur fautores hæreſeos vel hæreticorum. Adde, quòd ſicut Catholici *licitè poſſunt hæreticum comitari vel deducere viuum ad alia opera per ſe licita, & communicare ipſi edendo, bibendo, & contractus ciuiles celebrando, ſic poſſunt etiam communicare illi mortuo, deducendo illum ad ſepulturam profanam, quod eſt per ſe licitum.*

Semper autem nominat Nauarrus *ſepulturam profanam*, cuiuſmodi eſt in cœmeteriis hæreticorum, quæ ipſi vel poſt hæreſim ſuam condiderunt; vt in multis locis accidit; vel à Catholicis accepta polluerunt ac profanarunt. At verò, vt hæretici ad ſepulturam ſacrã, hoc eſt, ad cœmeteria vel templa Catholica & conſecrata deducantur; negat Nauarrus loco citato N. 8. ſine peccato fieri poſſe; eo quòd tunc deductores conſentiant peccato hæreticorum hæreticum ſepelire, & quidem in loco ſacro, volentium; prohibetur autem ſub excommunicatione cap. *Quicunque*, de Hæreticis in 6. *ne quis hæreticos credentes, receptatores, defenſores vel fautores hæreticorum ſcienter Eccleſiaſtica ſepultura tradat.* Putat tamen deducentes non incurrere hanc excommunicationem, ſi id non faciunt fauore & amore hæreſeos, ſed aliquo ex ſupradictis naturali reſpectu. Sed vt in aliis multis Canonum vigor per contrariam conſuetudinem eneruatus eſt, iis in locis, vbi Nouatores, torrentis inſtar, exundarunt; ita & in ſepultura Hæreticorum nominatim non denunciatorum, Canonum vis laxata videtur; cum ſalua pace & tranquillitate Reipublicæ vix aliter fieri queat; cum alicubi Hæretici & Catholici non modò cœmeteria ad ſepulturam, ſed & Eccleſias tam ad hanc, quam ad ſuas conciones & profanam cœnam peragendam communia habeant. Et

 quis

quis eſt, qui Catholicos vbi orthodoxa fides cum hæreſi toleratur, damnandos cenſeat, ſi funus conſanguinei, vel amici, vel vicini alicuius deducant ad locum ſacrum, orthodoxis ſimul & heterodoxis communem? Vtinā Canonibus ſua ſtet auctoritas. Sed ea ſunt tempora, quibus in non modica felicitatis parte reputatur, ſi vbi libera eſt hæreſis, Catholicæ itidem religioni nō nihil loci reliquum remanſerit.

Ex quibus apparet, quàm æqui, & vtinam non aliquando, ſupra æquitatem æqui, ſint Catholici; quàm verò duri & præfracti ſectarij tam in hoc, de funerum deductione, argumento, quam in aliis, cuius rei luculentiſſimum exemplum ſuppeditarunt nobis *Georgius Amvvaldus* Seplaſiarius, & *Ioannes VVieland* Prædicans Donavverdanus, qui eo moroſitatis, ne dicam impudentiæ, proceſſerunt, vt gregalibus & conſortibus ſuæ ſectæ ne tantum quidem facultatis & libertatis concederent, vt Catholicorum nuptias ad Templum Catholicum, more in Germania vbique conſueto, deducerent ac comitarentur. Quem in finem Scatophagus ille *Amvvaldus*, in publicis & priuatis congreſſibus; alter verò ex ſuo ambone declamatorio & ſtentoreo eos in totam ciuitatem ignes ſparſerant, ex quibus ingens incendium naſci poterat, niſi vterque tempeſtiuè ſolū vertere coactus fuiſſet; Qui tamen neque eiecti ſiluerunt; Nam Panacearius neſcio quibus libellis; Prædicans autem quinque concionibus Donavverdæ habitis, poſtea in publicum emiſſis, ſtultam ſuam contumaciam tutari inſtiterunt; ita vt Senatus VVerdæanus, neceſſe habuerit, Apologiam aduerſus iſtos calumniatores euulgare: Anno Domini M. D. XCIII. in qua defenſionis arx & præſidium eſt, ſe id facere non religio-

nis, sed ciuilitatis, amicitiæ, vicinitatis, sæpe etiam cognationis & affinitatis, vel similis tituli caussa.

Ecce tibi Prædicantes ferre noluerunt, vt isti in templo essent, in quo sacratissimum Missæ sacrificium offerebatur, & cõiuges noui Catholico ritu iungebantur; licet protestarentur, se interiorem Ecclesiæ partẽ, quæ *chorus* appellatur, nõ ingredi, sed in altera parte templi manere, non procul ab ingressu; addito etiam hoc; *se ad Missam non attendere; se nullas penitus preces fundere, neq; genua flectere, neq; vllam reuerentiam vlli sacræ rei exhibere*; sed interea variis de rebus colloqui, & implere illud Virgilianum. *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* Et tamen *VVielandus* cum suo *Amvvaldo* contentus non erat. Quid hoc rei? Prædicantes sunt tam hispidi & hircini; & nostri non modò æquiter, sed & patientissimè ferent, vt suæ religionis homines, spõsos Lutheranos ad Lutheranum delubrum seu Lararium deducant, & declamationem, quam *Lar familiaris* inibi instituit, audiant? O Panacea vbi es, non illa impostoria Amvvaldina, sed vera & legitima: Amvvaldinam enim fucatã & deceptricem esse, vel inde liquet: quia cum omnibus morbis medelã polliceretur, morbo petulantis linguæ, quã Auctor eius grauissimè imò & pestilentissimè laborabat, medicinam facere nõ potuit, vt nec glossalgiæ Wielandianæ, tametsi iactitat Auctor, se hoc Panchresto ab illo Prædicante & Chiragrã & Podagram depulisse; at non *glossagram*, eamque turbulentissimam ac seditiosissimam. At satis de his; nunc ad funus nostrum regrediamur.



CAPVT V.

Funera ducta cum Psalmis.

SANCTVS Hieronymus de funere Paulæ Romanæ. *Psalmorum linguis diuersis examina cõcrepabant.* Item *Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & iuxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerant, suum funus, & proprias credentibus lachrymas.* Ibid. dicit; Alios Episcopos *lampadas cereosque prætulisse*; alios, *choros psallentium duxisse.*

Erant ergo Psallentes in choros & certa agmina digesti; quibus sui erant duces: Ex qua D. Hieronymi relatione discimus, Psalmos decantatos apud Paulæ funus priusquam efferretur; in ipsa elatione; & toto triduo, quo Paula insepulta mansit in Ecclesia Saluatoris; imò & post sepulturam, tota hebdomade, nouis semper superuenientibus, & funus hoc psalmodia sua cohonestantibus.

Idem S. Hieronymus de Funere Fabiolæ. *Sonabant Psalmi, & aurata tecta Templorum, reboans in sublimi quatiebat* Alleluia. *Hic iuuenum chorus; ille senum; qui carmine laudes fœmineas & facta ferant.*

Nyssenus de funere Macrinæ sororis. *Virorum & mulierum multitudo psalmorum decantationem fletibus interrumpebat,* &c. *A principio ad finem vsq; decantatio psalmorum eadem voce triplicique canentium ordine, sicut ille trium puerorum cantus absoluebatur.* Habes hic tres psallentium ordines.

In funere S. Basilij. *Psalmodia luctu interrumpebantur.*

Digitized by Google

Nyssenus orat. in S. Meletium. *Exponite, &c. quomodo praeclarus Dauid multifariam multisq; modis in innumeros ordines sese distribuens, inter diuersa simul & eiusdem linguae homines circa tabernaculum tripudiabat & saltabat.* Vult dicere Nyssenus, Psalmos Dauidis diuersis linguis in funere Meletij decantatos fuisse, prout S. Hieronymus de funere S. Paulae commemorat. Eodem respexit S. Gregorius Nyssenus, quando orat. in funus Pulcheriae ita scripsit. *Tunc etiam Magnus Dauid suos hymnos, & laudum decantationes lamentationibus accommodauit, ac pro hilari choro, sumpto inuicem tristi ac lugubri, cantilenis ad lamentationes inuitauit:* quorum verborum sensus est; in funere Pulcheriae Psalmos Dauidicos cantatos esse non in argumentum laetitiae, vt aliâs; sed luctus & tristitiae.

Auctor Anonymus de funere Agapeti Pontificis. *Sonabant Psalmi, & excelsa tecta domorum reboans in sublime Alleluia quatiebat.*

In funere S. Sabae Abbatis, Episcopi & Monachi & innumerabilis populi multitudo, *hymnos & cantica ei de more canentes*; sanctum corpus sepelierunt.

S. Ephraem voluit corpus suum sepeliri cum Psalmis; non condiri aromatibus.

Caesarius frater S. Gregorij Nazianzeni *cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad Martyrum sedes effertur,* &c. *Psalmorum cantu luctum consopientes,* &c.

Funus Constantij Imperatoris *publicis laudibus faustisq; ominationibus pompisq; deductum, ac religiosis his etiam nostratibus cultibus,* (inter quos psalmorum concentus) *& nocturnis cantionibus, honoratum est,* vt scribit Nazianzenus orat. 2. in Iulianum Apostatam. Per *noctur-*

nas cantiones intelligit Pfalmodias, quæ noctu ad funus, vbi conquiefcebat, inftituebantur; nam Conftantij cadauer Conftantinopolim, longo itinere deportabatur; & noctu in Ecclefiis collocabatur, adiunctis cantoribus, qui tota nocte Pfalmis concinendis operam darent.

In funere Abraami Eremitæ, licebat audire *alios quidam pfallentes*, inquit Theodoretus, in Hiftoria Religiofa; *alios lamentantes.*

Corripus de funere Iuftiniani lib. 3.

Hinc Leuitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus: vox æthera pulfat.

Sulpicius Seuerus Epift. 3. *Hoc beati viri* (Martini) *corpus vfq; ad locum fepulchri, hymnis canora cæleftibus turba profequitur. Comparetur, fi placet, fecularis illa pompa, nō dicam funeris, fed triumphi, quid fimile Martini exfequiis conferetur? Ducant illi præ curribus fuis vinctos poft terga captiuos: Martini corpus, hi, qui mundum ductu illius vicerant, profequuntur. Illos confufis plaufibus populorum honoret infania; Martino diuinis plauditur Pfalmis, Martinus hymnis cæleftibus honoratur. Illi, poft triumphos fuos in tartara fæua truduntur: Martinus Abrahæ finu latus excipitur; Martinus hîc pauper & modicus cælum diues ingreditur: illinc nos, vt fpero, cuftodiens, me hæc fcribentem refpicit, te legentem.*

S. Petri Alexandrini Epifcopi & Martyris corpus cum pfalmis & hymnis ad locum fepulturæ deductum eft. Baronius Tom. 3. Anno CCC. X. Ex antiquis Actis.

Corpus quoque S. Abibi Martyris fepelierunt Chriftiani, *poftquam pfalmos & hymnos, vt par erat, cecini∫fent.* Vide Baron. Anno CCC. XVI.

Tom. 4. Surij. Pandoninia in vita S. Radegundis Reginæ. *Sanctimonia-*

moniales omnes apud eius torum stabant psallentes: Si verò psallentium voces vel paululum reticerent, mox planctus audiebatur,&c. *Cumq́; corpus eius sub muro cum psalmodiis deportaretur,*&c. *tota congregatio in muro lamentans, ita vt planctus eius superaret psallentium voces, pro psalmo lachrymas, pro cantico mugitum, pro Alleluia gemitum reddebant.*

Chrotildis Regina (Francorum) *plena dierum bonisq́; operibus prædita*, inquit Gregorius Turonensis lib. 4. Hist. Francorum cap. 1. *apud vrbem Turonicam obiit, quæ Parisios cum magno psallentium præconio deportata, in sacrario Basilicæ S. Petri,*&c. *est sepulta.*

Idem Turonensis lib. de vitis Patrum in Lupicino Recluso cap. 14. *Rapuit* (matrona quædam) *sanctum corpus & ferre cœpit in feretro ad vicum Transaliacensem, dispositis in itinere psallentium turmis cum crucibus cereis, atque odore fragrantis thymiamatis.*

Et ne vlli funeri Psalmodia deesset; prouidit olim sedula Iustiniani Imperatoris cura, destinatis adhoc officium Asceteriis, quibus ab Ecclesia Maiore certa merces ob hoc officium dependebatur. Iustianiánus Nouella LIX. *Nemo prorsus ab inuito, procurato demortui corpore, quidquam auferat. Sed vt totum discernamus, sancimus, vt vnicuiq́; feretro, quod gratis conceditur, vnum accedat ascetriarum aut Canonicarum asceterium, non minus octo mulieribus feretrum præcedentibus & psallentibus, & tribus acoluthis, q nec ipsi quidquã accipient. Si quis verò ex defuncti cognatis & adfinib. qui elationẽ procurant, velit sua spõte, nemine cogente, aliud insuper asceteriũ vel vnũ, vel duo, vel plura assumere: esto illud quidẽ in ipsius positum munificentia.*

Decernit deinde ac definit Iustinianus, quot ex aliis Asceteriis *Ascetriæ* siue *Canonicæ*, vltra præstitutum numerum ex munificentia assumi debeant; quot item

Aco-

Acoluthi,& quo pretio. nempe non pauciores, quàm octo ex vnoquoque Asceterio,& non pauciores,quàm tres Acoluthi, ad vnumquodque Asceterium: quibus etiam pro longitudine viæ, qua funus ducendum est, salarium constituitur.

Non probo autem, quòd quidam scribunt,has Ascetrias siue Canonicas,hoc est,vt nos nominamus,*Moniales*,seu *Sanctimoniales*,*Psaltrias*, in veterum & Ethnicarum præficarum locum substitutas fuisse: nam priscæ illæ ad funera tantum lamentabantur & muliebriter eiulabant; Istæ Religiosæ Psaltriæ hymnos Dauidicos modulantes, animam defuncti Deo commendabant,& ad solamen audientium laudes diuino numini concinebant,institutæ etiam eum in finem, ne vetus Ecclesiæ mos psallendi in funeribus, ob quorundam inopiam,intermitteretur. Quapropter istis ex publico Ecclesiæ ærario stipendia numerabantur.

Prohibuerat in Africa Rex Gensericus Catholicis; ne mortuos suos cum Psalmis efferrent; quod orthodoxis molestissimum accidit. *Quis sustineat atque possit sine lachrymis recordari*, inquit Victor Vticensis lib. 1. de persecutione Vandalica, *dum præciperet nostrorum corpora defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulchrum perduci?*

Libro 6. Capitularium Francicorum. *Admoneantur Fideles, vt ad suos mortuos non agant ea, quæ de paganorum ritu remanserunt: sed vnusquisque deuota mente & cum compunctione cordis pro eius anima Dei misericordiam implorent. Et quando eos ad sepulturam portauerint, illum vlulatum excelsum non faciant; Et illi, qui Psalmos non tenent, Excelsa voce*, Kyrie eleison, Christe eleison, *viris inchoantibus, mulieribusq́; respondentibus, alta voce canere studeant pro eius anima.*

In

In Concilio Toletano III.& refertur à Gratiano 13. Q. 2. *Qui diuina*, ſtatuitur hunc in modum. *Religioſorum omnium corpora, qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum pſalmis tantummodo pſallentium vocibus debere ad ſepulchra deferri. Nam funebre carmen, quod vulgò defunctis cantari ſolet vel pectoribus ſe, proximos, aut familias cædere omnino prohibemus.* Ex quibus apparet, Hiſpanis peculiares quaſdam cantiones fuiſſe, quas in funeribus decantarent. Prohibetur & illud, ne ex doloris vel impatientia vel ſimulatione ſibi præſentes vel domeſticos verberibus mulctent.

Cauſſam, cur hymni in funeribus decantarentur, reddit S Chryſoſtomus Hom.4. in Epiſt. ad Hebræos. *Dic mihi, quid ſibi volunt iſtæ lampades tam ſplendidæ? Nonne ſicut athletas mortuos comitamur? Quid etiam hymni? Nonne, vt Deum glorificemus, eiq; gratias agamus, quod iam coronauit diſcedentem, quòd à laboribus liberauit, quòd à timore liberatum apud ſe habet? Nonne propter hoc hymni? Nonne propter hoc pſalmodia? Omnia iſta gaudentium ſunt.* Hæc Chryſoſtomiana non eo tendunt, quaſi negent Pſalmos, etiam in ſubſidium defunctorum, cani; nam alibi apertè docet S. Chryſoſtomus, mortuos viuorum precibus & eleemoſynis plurimum adiuuari; ſed quia dictâ Homiliâ totus in eo erat, vt ex animis hominum inſatiabilem illam & immoderatam lugendi & plangendi conſuetudinem eximeret, ideo pſallendi quoque morem ad lætitiæ argumentum traxit; minimè alioqui inficians, pſalmorum modulationem poſſe etiam mœſtitudinis argumentum, & Deo propitiando, quaſi inſtrumentum eſſe; vt vel quinquageſimus Pſalmus inter Dauidicos comprobat; quem vtique beatus Dauid non niſi triſtiſſima mente, & vt Deum ſibi placatum redderet, decantauit.

M Idem

Idem fermè de caussa, cur Psalmi in funeribus concinantur, tradit S. Chrysostomus Homil. in S S. Bernicen & Prosdocen Martyres. *Principio quidem super mortuos planctus & lamentationes fiebant: Nunc autem Psalmi & cantus hymnorum. Fleuerunt igitur Iacob quadraginta diebus*, &c. *Iam verò non ita, sed hymni sunt, preces & psalmi; quæ omnia voluptatem in ea re esse declarant.* Eadem ferè idem S. Chrysostomus Homil. in illud Apostoli: *De dormientibus*, &c. Tom. 5.

CAPVT VI.

Num sectarij in suorum funeribus psallant?



CANTILLANT etiam nostri Nouatores, præcipuè Lutherani, næniolas nonnullas Germanicas in suorum funeribus, institutâ ex pueris triuialium scholarum processiunculâ, quæ feretrum antecedit: Et illud; *Media vita in morte sumus*, vel aliud quoddam Germanicum odarium modulatur. turba grandiorum natu feretrum subsequente; & familiariter colloquente, ne dicam inter se amice garriente; quolibet de suo opificio; iuxta illud:

Nauita de ventis, de tauris narrat arator.

Vt si fortè mortuus, dum viueret, loquendi nimis parcus fuisset; hanc ei culpam Deus clementer ignoscat; & garritum illum funebrem, quem tunc instituunt, beneuole imputet.

Sepultura hoc tempore, inquit liber Witebergensis, in quo varia consilia de libro *Interim* continentur, editus Anno M. D. L I X. *decenter & Christianum ad modum* (scilicet) *administrantur tam cantionibus, quàm precationibus adhibitis.* (De cantiunculis liquet; illud de precationibus non item; vt norunt, qui funera Lutherana duci viderunt, nisi fortè garrire & confabulari, sit precari.)

Ali-

Alicubi etiam conciones ad has habentur. (Rectè *alicubi,* non vbique, quia non nisi illic, vbi Prædicantibus pro declamatione funebri spes copiosæ mercedis affulget. At de his postea.)

Non vult liber Witebergensis, vt longæ Vigiliæ pro defunctis instituantur; *quia hoc pastoribus nouum onus futurum esset, & populo impedimentum ab aliis necessariis operis & operibus.* Quam isti sunt temporis parci? Quàm nullam diei partem sine linea abire sinunt? Verum si reliquis suis non necessariis actionibus aliquid detrahere velint, facilè inuenirent nonnihil temporis, quod Vigiliis, etiam longis, absque necessariorum operum detrimento impendant.

Simili prætextu conatus est Lutherus in libro ad nobilitatem Germanicam, & in alio, *de bonis operibus*, è medio tollere dies festos; vbi & hoc ridiculè effutiuit; dies festos in caussa esse, cur multi tam graui egestate premantur. Nimirum nullus amplius inter Lutheranos reperitur inops, nullus mendicus, præcipuè verò inter Geneuenses Caluinistas, qui omnes mendicitatis caussas, hoc est, omnia festa, præter dies Dominicos, exterminarunt. Crœsi & Midæ, sed auriti, fierent, si dies quoque Dominicos ad Antipodas ablegarent.

Sed redeo ad Witebergẽsem librũ; qui veretur, *ne si Vigiliis mortualib. ianua aperiatur, res denuo in superstitionẽ abeat.* At libro huic oppono ipsum librum; nam paulò pòst ita loquitur. *Cũ Vigiliæ maiore ex parte puras & Christianas cãtiones de Resurrectione & aliis ex sacris literis habeant, deberent illæ iis, q hoc fortè peterent, cõcedi, & cõmonefactionis causa de morte & pmissione Resurrectionis certa & ad confirmationẽ atq; incrementa fidei nostræ vsurpari.* Si quibusdã hoc sine cõcedi possunt, & quidẽ absq; supstitionis periculo; cur nõ & aliis? At fortè q nonnullis cõce-

M 2 dantur

dantur Vigiliæ, aliis negentur caussa non est superstitionis periculum; sed quia non omnibus ea facultas suppetit, vt Prædicantes luculentis honorariis mactent. Hoc, nisi fallor, indicant illa verba. *Quando præcipua dignitatis Dominus aliquis moritur, & ei forte, præter iam vsitatas ceremonias, amplius aliquid vt fiat, constituere libeat, cantionibus, concionibus aut lectionibus*, &c. *hoc etiam non improbamus*. Si ergo talis petat *Vigilias*, Vigilantij nostri haud grauatè *Vigilias* decantabunt omnis superstitionis securi. Cur, obsecro, nullum est periculum superstitionis, si nobiliores & opulentiores Vigiliis honorentur?

Forsan in stipem vel salarium caussa referenda erit, cuius Prædicantes adeo non sunt contemptores, vt vbi de Vigiliis disputant, hoc etiam salutiferum monitum adiecerint. *Bonum esset communiter mandari de eleemosynis in funeribus certis in locis præstandis, id quod multis in locis in vsu est*; & quidem non sine Prædicantium emolumento. At stultus fuerit, qui eleemosynas, post mortem suam distribuendas relinquat, ex doctrina Prædicantium, nihil sibi profuturas. Nam Catholicus, cuius opes seu viui seu mortui, in pauperes erogantur, solari se potest illo Dauidico. *Dispersit, dedit pauperibus*. Quo fructu? *Iustitia eius manet in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria*.

Ait Liber. *Vigiliæ reuera fuerunt excubiæ, quæ fiebant ad corpora mortuorum, in quibus consolationis & exhortationis caussa lectiones & cantiones ex sacris literis de Resurrectione mortuorum proposita sunt*. Cur igitur isti huiusmodi excubias alacriter non suscipiunt? An nulla consolatione & exhortatione de Resurrectione egent?

Quam verò Lutherani Lutheranorum funera piè ac reli-

religiosè ad sepulturam deducant, locuples nobis testis est Lutheranus Prædicans Brentius Homil. 69. in Lucam. *Quid opus est his caremoniis* (funebribus?) *Proiiciamus defunctos nostros in flumina, quod de nescio quibus Lotophagis prædicant, qui abiiciunt mortuos suos in mare, asseuerantes parum referre,* humóne an aqua, *an igne dissoluantur. Ac profectò nisi caueamus, multorum mores, qui ex Euangelio sibi omnium rerum licentiam quærunt,* (nota fructus quinti Euangelij) *non dißimilem barbariem nobis minitantur: nam cum hi ex Euãgelio didicerunt, mortuos nõ esse lugendos ethnicè, prosequuntur eos risu & cachinnis. Et cum audierunt, sepulturam nihil conferre saluti defunctorum, abiiciunt mortuos suos, velut cadauera iumentorum: adeoq; nullam vsquã mediocritatem seruare student, aut nimis ad dextram, aut nimis ad sinistram declinant. Nuper, nondum reuelato Euangelio* (Lutherano) *incedebant in funeribus capitiis vndiq; obtectis,* &c. *Nunc ita perfricta fronte, interdum etiam ridentes, incedunt, vt haud obscurè significent, mortem amici sibi gratam & iucundã esse. Nuper, mortuum, nullo non officij genere, etiam singulis annis prosequebantur,* &c. *nunc mortui nulla nec honesta mentio. Nuper sepulchrum etiam ipsum floribus ornabant, nunc sepultura nihil abiectius reputatur.* Quid sibi hæc vult inscitia? *Quid hæc barbaries? An quia abusus funerum reprehenditur, ideo legitimus vsus tollendus?* &c. *Ac sentiendum quidem est, Domini esse terram, nec referre, qua parte terræ, corpus mortuum computrescat; homo tamen mortuus, non est abiiciendus, vt cadauer asini, sed magno honore & reuerentia mandandus est honestæ sepulturæ.* Hucusque Brentius. Ex quibus satis manifestè apparet, quid fructus nouum Euangelium, in re quoque funebri produxerit.

CAPVT VII.

Funera ducta cum cereis seu facibus & lampadibus, cum palmis, crucibus, thuribulis & thymiamatis.



SANCTI Cypriani Martyris & Episcopi Carthaginensis corpus *cum cereis & scholaribus in area cuiusdam Candidi Procuratoris, cum magno triumpho sepultum est*, vt habetur in Actis S. Cypriani.

In funere S. Paulæ Episcopi quidam *lampades cereosq. pratulerunt*, teste S. Hieronymo in Epitaphio S. Paulæ. Obserua illud: *Prætulerunt*: Antecedebant ergo funus. Nyssenus de funere S. Macrinæ. *Ex vtraq. parte præcedebat non exiguus Diaconorũ ministrorumq. numerus: qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant.*

In funere Pulcheriæ, vt idem Nyssenus scribit, erat *lumen ignis, quod & multum & copiosum, ex transuerso, vtrinq. continentibus* (hoc est, continuis) *cereis lampadibus prætendebatur*. Videtur dicere lampades ipsi feretro, in quo Pulcheria ferebatur, fuisse vtrinque impositas, eo modo quo hodie cenotaphiis in Catholicorum templis cerei imponi solent.

Idem Nyssenus de funere Meletij. *Exponite nobis quomodo vtrinq. quasi ignei amnes, continentibus facibus, tractu continuo perpetuoq. fluentes, quoad oculi longissimè prospicere possunt, porrigebantur.*

Circum funus Constantini Magni Imp. accensa sunt luminaria & aureis candelabris imposita, vt scribit Eusebius lib. 4. de vita Constantini.

In funere Cæsarij, qui Nazianzeni frater fuit, *mater accen-*

Digitized by Google

accensas faces gestauit. Nazi. orat. in Cæsarium. Quo loco vox à Nazianzeno vsurpata, est λαμπροφορία, quæ, vt notat Billius ad dictam Orationem, intelligi potest vel *pro candido indumento*, quandoquidem hilaris animi indicium est, quemadmodum τὸ μελανοφορεῖν vel μελανειμονεῖν, *pullas* seu *atras vestes gestare*, afflicti & mœrentis; vel, pro cereorum ac facium gestatione: nam in hac quoque significatione Nazianzenus hanc vocem vsurpauit orat. 2. de Paschate, non longè ab initio. Vnde etiam illic Nicetas λαμπροφορίαν, δᾳδουχίαν exponit. Posteriorem significationem libentius amplector, quod nobis priscum Ecclesiæ morem in honestandis cereorum ac lucernarum gestatione funeribus repræsentet. Hæc Billius.

Qui funus, Petri Episcopi & Martyris Alexandrini comitabantur, ardentes cereos ferebant.

Corippus de funere Iustiniani lib. 3.

Augustus nutu tolli sublime feretrum
Imperat, & tota populus processit ab aula:
Mœstaq́; funereas accendunt agmina ceras.

Cum Reliquiæ S. Chrysost. Constantinopolin deportarentur, *fidelis hominum cœtus, pelagus, nauigiorum multitudine, velut continentem efficiens, Bospori ostium ad Propontidē situm, luminaribus cooperuerunt*, vt inquit Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 36.

Respexit ad hunc funalium morem S. Ambros. lib. de viduitate. *Vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pōpa funebris exequias magis putat, quā thalamū praparari?*

Porro successu temporis tres Acoluthi cereos & faces in funeribus gestabant; vt apparet ex Nouella 43 & 59. Iustiniani; Et tres erant, si vnum duntaxat Asceterium funus comitaretur; sex verò, si duo; nouem, si tria; nam cuiuis Asceterio tres adiungebantur Acoluthi.

Moris

Moris ferendi cereos meminit S. Chrysost. Hom. 4. in Epist. ad Hebræos. *Dic mihi, quid sibi volunt istæ lampades tam splendidæ? Nonne sicut athletas mortuos comitamur?* testamurque, eos, vt filios lucis ambulasse; vt filios lucis hinc excessisse; opera lucis operatos esse; & tandem, spe lucis æternæ obtinendæ, vitam hanc mortalem finiuisse. Hæretici hanc cereorum cæremoniam ferre nolunt. Itaque suos sine vlla lampadum aut facium luce sepeliunt. An quia non sunt filij lucis? An quia malè agunt, eamque ob caussam lucem oderunt? An quia ad tenebras exteriores suos ire præsentiunt? Luci profectò funebri tam sunt infesti, vt si quando funus Catholicum per eorum ditiones feratur; nullo pacto cereos supra feretrum lucere finant.

In aliis quoque processionibus, extra funebrem luctum & planctum, lampades adhibitas fuisse, planum faciunt exempla, quæ libro primo de Processionibus cap. 14. & 15. percensuimus. Quibus adde & hoc ex Homil. S. Chrysostomi in S. Phocam Martyrem. *Iterum mare Ecclesiam efficiamus cum lampadibus illuc prodeuntes, & ignem humectantes, & aquam igne complentes.*

Cum Episcopi orthodoxi persecutione Vandalica in exilium pellerentur, *quantæ tunc multitudines*, inquit Victor lib. 2. *de diuersis regionibus ac ciuitatibus ad videndos Dei Martyres occurrerent populorum, testantur viæ vel semitæ; quæ cum agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes*, &c.

De Palmis gestatis testem do, funus S. Petri Episcopi Alexandrini & Martyris, quem sepelierunt *victrices palmas manibus tenentes.*

De

Digitized by Google

De cruce præportata iam capite quinto exemplum ex Gregorio Turonensi memorauimus; vbi & odores incensos audiuisti. Acta S. Petri Alexandrini: *Thuribula sacris odoribus fumantia* ferebant, Christiani, cum Reliquias S. Petri ad sepulturam ducerent.

Corippus de funere Iustiniani.

Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo.

Iam quoque libro primo audiuimus ex Tertulliani Apologetico, nil esse cur Sabæi de Christianis conquerantur, *cum pluris & carioris* merces suas *Christianis sepeliendis, quam Diis fumigandis profligari* videant; quod nō modo capiendum de vnctura & conditura cadauerum, sed & de incensione aromatum, in itu redituque funereæ processionis.

Cum Iustiniani funus duceretur.

Transitus ob caussam multi pia thura cremabant
Vt inquit Corippus lib. 3.

Lutheranorum nonnulli crucem in processionibus funebribus adeò non abhorrent, vt eam sibi & suis prę-portari aliquando cupiant, vt dixi libro primo de Processionibus cap. 13. licet alij ex eadem schola & secta sibi cum cruce nihil commercij esse velint. Thuribula, thymiamata. & quidquid huius generis est; in postremis ducunt, imò penitus negligunt & aspernantur; fortè ideo, quia non sunt *bonus odor Christi*; neque aliis odor ad vitam, sed ad mortem. *Edit. Colon.*



CAPVT VIII.

Quonam funera ducta?

GENERATIM dici potest ducta ad ea loca, vbi sepelienda, vel vbi, ad sepulturam vsque asseruanda erant. Speciatim dicere licet, ducta ad Ecclesias seu Templa, seu Basilicas & Martyria, hoc est, Ædes dicatas sanctis & Martyribus; Item ad cœmeteria; aliquando quidem immediatè; aliquando mediatè; quia prius nimirum in aliquod templum funus inferebatur, vt statæ & sollennes preces illic perficerentur; iisque perfectis ad cœmeterium procederetur.

Quarum precationum odio Caluinus ita ad Mompelgartenses scripsit Epist. 51. *In sepultura mortuorū hanc moderationem vellem adhiberi, ne in templum funus deferretur, sed recta in cœmeterium.* Vsq; adeo metuebat Caluinus, ne suorum quispiam, ipsius sacri loci admonitu, defuncto bene precaretur, & *Requiem aeternam* exoptaret.

Nec deferebantur duntaxat defunctorum corpora in Ecclesiam, sed & ibi tota nocte vel pluribus relinquebantur, institutis ad funus Vigiliis; quod tamen in Actis Synodalibus Ecclesiæ Rhemensis & Trecensis vetitum est hoc statuto; vt videre est lib. 3. tit. 18. eius operis quod inscribitur: *Decreta Ecclesia Gallicana. Inhibeant Curati suis Parochianis, ne vigilent in Ecclesia de nocte, quando corpora aliquorum defunctorum ibidem deportātur, vel alibi, propter maleficia, qua ibidem fiunt, & temporibus retroactis contigerunt. Possunt autem in Ecclesia corpora remanere, quousq; Missa defunctorum fuerit celebrata, nisi caussa rationabilis subsit, propter quam oporteat dicta corpora citius inhumari.* In

In Ecclesiis aliquem sepeliri vetuerunt olim Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius hac lege, quæ exstat in Codice Iustinianéo tit. de sacrosanctis Ecclesiis: *Nemo Apostolorum vel Martyrum sedem, humanis corporibus existimet esse concessam.* In primo etiam Concilio Bracarensi cap. 36. sancitum est, *ne corpora defunctorũ intra Basilicas sanctorum tumulentur, sed fiant omnes sepultura extra ciuitatem.*

Libro primo Capitularium Caroli Magni mandatur, *vt nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat.*

Theodulphus Episcopus Aurelianensis Epist. ad Fratres & Compresbyteros suos. *Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum vsus fuit, & plerumq; loca diuino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias praparata, cœmeteria siue polyandria facta sunt. Vnde volumus, vt ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur; nisi fortè talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qua per vita meritum, talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpora verò., qua antiquitus in Ecclesiis sepulta sunt, nequaquã proiiciantur, sed tumuli, qui apparent, profundius in terram mittantur, & pauimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesia reuerentia conseruetur.* Vbi verò est tanta *multitudo cadauerum, vt hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco constructo, vbi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.*

Concilium Bracarense primum cap. 18. *Placuit vt corpora defunctorũ, nullo modo in Basilica sanctorũ sepeliantur, sed, si necesse est, deforis, circa murũ Basilica, vsq; adeo non abhorret. Nã si firmißimũ hoc priuilegiũ nunc manet ciuitates* (id est, si hunc morẽ retinent ciuitates, præsertim Galliæ, vt ait Burchard, lib. 33, cap, 157. & Iuo p. 3, cap. 220.)

vt nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reuerentia obtinere?

In quæ verba Hispaniensium Conciliorum editor Illustrissimus Garsias Loaisa. *Idem statuit Concilium Triburiense cap. 17. de Laicis; vt non in Ecclesia sed in communi cœmeterio seu dormitorio sepeliantur: additur tamen: Nemo enim in Ecclesia sepeliatur; nisi fortè talis sit persona Sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per vitæ meritum talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Concilium Maguntinum cap. 52. excipit Episcopos, Abbates & dignos presbyteros. Pelagius II. sic statuit, vt inter alia eius decreta, legi in lib. MS. Biblioth. D. Laurentij: Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam sepeliantur: sed, si necesse est, foris circa murum Basilicæ. Hunc morem antiqui Christiani, religiosè seruarunt, vt in capellis, aut in muro Ecclesiæ, & non intra Ecclesiam humarentur; quamuis essent proceres & principes viri: vt obseruatum est in multis Basilicis Hispaniæ.* Hæc Garsias.

Ex Concilio Vasensi adfert Gratianus 13. Q. 2. C. *Præcipiendum est*; hunc Canonem. *Probibendum est etiam secundum maiorum instituta, vt in Ecclesiis nullatenus sepeliantur* (defuncti) *sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ: Intra Ecclesiam verò, & prope altare, vbi corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur.* Quod Decretum Burckhardus & Iuo ex Concilio Nannetensi proferunt.

Eusebius lib. 4. de vita Constantini Magni, scribere videtur Constantinum in Templo Apostolornm Constantinopoli fuisse sepultum. *Quem votis expetiuit locum, vna cum Apostolorum memoria consecutus est. Nam adhuc quidem licet contemplari ter beata anima tumulum Apo-*

Digitized by Google

Apostolici nominis appellatione decorari. At Constantinum non in ipso Apostolorum templo, sed in limine duntaxat seu vestibulo sepulchrum accepisse, testatum nobis facit S. Ioannes Chrysostomus Hom. 26 in Epist. 2. ad Corinth. *Hic quoq; Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimauit, si eum in piscatoris vestibulo conderet: quodq; Imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in sepulchro, Piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem, velut Domini, interiores loci partes obtinent: hi autem, velut accolæ ac vicini, præclarè secum agi putarunt, si vestibuli ianua ipsis assignetur.*

Idem Chrysostomus Hom. 66. ad populum Antiochenum: *Nec hoc tantum quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli: nam & hic Constantinum Magnum ipsius filius in honore magno censuit haberi, si pro foribus Piscatoris paternum corpus collocaret.*

A Constantino igitur tanquam ex eius rei auctore, inquit Sozomenus, lib. 2. de cap. vlt. *consuetudine ductâ, Imperatores Christiani ibi sepeliuntur, atq; Episcopi etiam; quippe cum dignitas sacerdotalis Imperij dignitati par sit, imò verò in locis sacris primas partes obtineat.*

Videtur & apud posteriores Græcos vsitatum fuisse, vt corpora in Ecclesiis non sepelirentur. Nam cum Marcus Patriarcha Alexandrinus hanc Quæstionem ad Balsamonem attulisset; *Vetere prouinciæ* (Alexandrinæ) *consuetudine sepeliuntur corpora orthodoxorum in nostra regionis Ecclesiis. Quæro, num hoc licitum?* Respondit Balsamon. Διαφορὰ μεγάλη ἐστὶν ἐκκλησιῶν καθιερωθεισῶν διὰ ἐγκαινίων ἀνοιξίων καὶ ἐνθρονισμοῦ, χρίσματός τε ἁγίου μύρου, καὶ ἀποθέσεως λειψάνων ἁγίων μαρτυρικῶν, καὶ τῶν μὴ οὕτως ἁγιασθεισῶν, καὶ εὐκτηρίου τόπον ἐπεχουσῶν. διὸ ἐν ἐκείναις μὲν ἐν αἷς δηλονότι μαρτυρικὰ λείψανα τεθησαύρισται, καὶ ἁγίου μύρου ἐμεσο- *Exstat Tom. 1. lib. 5. Iuris Græco Rom fol. 382.*

λάβησι χρίσμα, ἀνθρώπινον λείψανον οἱονδήποτε οὐ ταφήσεται (κατὰ τὸ β κεφάλαιον τοῦ α τίτλου τοῦ ε βιβλίου τῶν Βασιλικῶν, τὸ λέγον. Μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρόν. καὶ κατὰ τὸ ἔξωθεν αὐτοῦ κείμενον παλαιὸν, τὸ λέγοντα. οὐκ ἔξεστι θάπτειν τινὰ ἐν ἐκκλησίᾳ, ἔνθα δηλονότι μάρτυρος ἐκεῖσε σῶμα ἀπόκειται) εἰς δὲ τοὺς μὴ οὕτω καθιερωθέντας ἁγίους εὐκτηρίους καλονομαζομένους, ἀκινδύνως ἐνταφιασθήσονται λείψανα.

Quæ verba admodum flagitiosè vertit Interpres. *Magna differentia est inter Ecclesias consecratas per initiatorias dedicationes, & throni inaugurationem.* Quid, quæso, sunt *initiatoria dedicationes?* Quid *throni inauguratio?* Duo commemorat Balsamon ad inaugurationem Ecclesiæ spectantia: nempe, ἐγκαίνια ἀνοίξια, quasi dicas; *apertoria*, ab ἀνοίγω, quod est, *aperio.* & vocantur *Encania* ἀνοίξια ab illa cæremonia, cum Episcopus stans extra Ecclesiæ consecrandæ ædificium, Dauidicum illud incinit: *Attollite portas principes vestras, & eleuamini porta aternales, & introibit Rex gloria.* Enthronismus seu Enthroniasmus (à quo Germani inthronizieren) vulgo *installatio* (vnde & *installieren*) est, cum patrono ius & possessio Ecclesiæ traditur, vt fieri solet, quando templa consecrantur: Neque enim ἐνθρονισμὸς videtur hic esse solij seu cathedræ erectio: potius totam illam cæremoniam Enthronismum dixerim, quia per illam profanis vsibus eximitur, Deoque transcribitur, qui proinde etiam *inthronizatur*, & quasi in possessionem mittitur.

Porrò quid sint ἀνοίξια nemo, quod sciam, planius nobis explicatum dabit, quam Nicolaus Cabasila lib. 5. de vita in Christo, vbi de consecratione Altaris seu sacræ mensæ agens ita scribit. *Hac caremonia functus Episcopus linteo se exuit, indutusque stolam hierarchicam in vicinam*

nam aliquam sacrarum ædium egreditur. vbi acceptis sanctorum Martyrum ossibus, ad hoc ipsum paratis, & super altera altaris tabellarum repositis, in quo venerabile donum collocat, & operiens, quibus illud operit, admodum reuerenter tollit, supraq; caput portans, ad domum, quæ sanctificatur, siue dedicatur, inter lampades, cantus, suffimenta, quibus eum incedentem multi cohonestant, progreditur. Ita procedens, vbi templum attigit, ante ianuas clausas consistit, iubetq; ipsis Dauidis vocibus eos, qui intus sunt, portas regi gloriæ aperire, & vicissim audit, quæ ille, saluatore cælum conscendente angelos angelis contra respondentes introducit. Portis iam patentibus, ingreditur, sacrum vas illud coopertum supra caput habens, simul ad altare, & ad ipsam mensam accessit, super ea deponit, tegumentumq; remouet, iacentesq; in vase diuitias tollit, & theca, quæ capacitate respondeat, imponit. Post hæc vnguento sacratissimo illis superfuso, sub sacra mensa condit. His ita confectis, domus iam domus orationis, mensa verò ad sacrificium idonea, & parata est, & sacrificatorium prorsus est.

Ex his Cabasilæ verbis intelligimus non modò illud, quid sint ἀνοίξια, sed & id quod de vnctione & sacris Reliquiis Balsamon adiungit.

Nunc iterum audiamus Interpretem. *Sanctique vnguenti vnctionem* (nam vt Simeon Thessalonicensis in opusculo de templo dicit; *Templum ab Episcopo mysticis precationibus consecratur, oleo sacro perungitur, totumque Dei habitaculum redditur*) *& sanctarum Reliquiarum Martyrum indigitationem (imò depositionem) & eas, quæ sic sanctificatæ* (consecratæ) *non sunt, obtinentq; Oratorij locũ; ideoq; in quibus Martyrica* (Martyrũ) *Reliquiæ recondita sunt, & sancti vnguenti* (seu Chrismatis) *interuenit vnctio, humanũ qualecunq; cadauer nõ sepelitur*, iuxta cap. 2. tit. 1. lib. 5. Basilicorũ, inquiens; *Nullus in Ecclesia sepeliatur mortuus. Et secundũ veterem extra eum positũ.* (Corrige; & secundũ vete-

veterem legem, quę extra Basilicorum volumen exstat) Non licet sepelire quenquam in Ecclesia, *vbi scilicet Martyris corpus sepultum est. In Oratoriis verò ædibus, quæ hunc in modum non sunt dedicata, licitè & absque periculo corpora mortuorum tumulantur.*

Eadem ferè de ἐγκαινίοις ἀνοιξίοις deque Enthroniasmo, & sacrarum Reliquiarum ἐνσελασμῷ siue sepultura in Templo vel Altari; reperire est apud Balsamonem in eodem Tractatu Responso XIII. Sed quidquid sit de hac Græcorum consuetudine, vel etiam de veterum quorundam Conciliorum & Episcoporum decretis, quibus id sanciendi pro conditione hominum, inter quos viuebant, probabiles rationes suppetebant; contraria consuetudo passim in Ecclesia iam inualuit; ne priscis quidem Christianis ignota aut inusitata, qui in magni beneficij loco ponebant, si sepulturam, in Ecclesia Martyris vel alterius sancti reliquiis nobilitata consequerentur.

Quo loco S. Ambrosius Satyrũ fratrem tumulauerit; refert his verbis Dungalus, vetus scriptor, qui nuper Tom. I. Auctarij ad Bibliothecam SS. Patrum prodiit, in libro contra Claudium Taurinensem ad Ludouicum Pium. *Idcirco*, nimirum subsidij à Martyre impetrandi caussa, *Ambrosius suum fratrem Satyrum, quem nimium dilexerat, iuxta sanctum martyrem Victorem sepeliuit, de quo tres libros edidit egregios, vnum de eius planctu, alteros duos consolatorios de resurrectione & paradiso. Cuius Epitaphium hoc dictauit tetrasticho;*

Vranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lauam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, vt sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuuias.

Hæc

Hæc Dungalus. qui etiam ex libris S. Augustini de *cura pro mortuis agenda*, complura recitat, quibus sanctus ille & magnus Antistes ostendit, defunctis multum vtilitatis adferre, si in Ecclesiis Martyrum vel iuxta Martyres sepulchrum nanciscantur. Quæ prætereo, quia ex opere citato S. Augustini passim obuio, cognita sunt.

Ipse etiam S. Ambrosius in Basilica à se erecta, in quam transtulerat corpora SS. Martyrum Geruasij & Protasij, sibi sepulchrum elegit; idque ex maiorum instituto, vt affirmat idem S. Ambrosius siue Maximus Taurinensis serm. 77. inter Ambrosianos; cuius hæc sunt verba. *Ideo à maioribus prouisum est, vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus; vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergò Martyribus quiescentes, euadimus inferi tenebras eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate.*

S. Ambrosium in sepultura fratri suo Satyro iuxta Martyrem statuenda imitatus videtur S. Paulinus, cum ad finem Panegyrici Celso puero dicti, ita canit.

Quem Complutensi mandauimus vrbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere martyribus:
Vt de vicino sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purgat in igne animas.

Sancta quoque Macrina S. Gregorij Nysseni soror in Basilica Martyrum sepulta est; vt & parentes eius.

Quæsierunt Bulgari ex Nicolao I. Pontifice. Num Christianum intra Ecclesiam sepelire ius atque fas esset. Respondit Pontifex cap. 99. ad Consulta Bulgarorum: *Hanc S. Papa Gregorius quæstionem absoluit, dicens: Cum grauia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in*

Digitized by Google

Ecclesiis sepeliantur, quòd eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conueniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata grauia deprimunt, non ad absolutionem potius, quàm ad maiorẽ damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis ponentur. Hęc S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 50. qui quod scribit, mox aliquot exemplorũ enumeratione confirmat.

Porrò Onuphrius libell. de Ritu sepeliendi mortuos, integrum Catalogum Imperatorum, Regum, Principum, Pontificum, Episcoporum, aliisque dignitatibus conspicuorum hominum texit, qui vel ad limina vel in porticibus Ecclesiarum, vel in ipsis Ecclesiis sepulti sunt, quem legat, cui libet. Morem hunc adstruunt omnia templa, etiam vetustissima, in omnibus Christiani orbis partibus.

Hospinianus Caluinista in Centone suo de origine templorum lib. 3. cap. 1. mentitur, morem sepeliendi mortuos in templis *natum ex auaritia sacerdotum.* At si iste primo, quod effudit, mendacio præfocatus fuisset; hoc certè nunquam effutiuisset. Pietas Christianorum hunc morem introduxit; qui suis animabus se rectè consulturos credebant, si in iis locis, quæ sacrificio Missæ immolando, & publicis precibus fundendis, destinata sunt, sepulchrum acciperent. nam & hac ratione tot sacrificiorum & precationum sese participes fore sperabant; vt & intercessionis eorum cælitum, quorum reliquiæ illis in Ecclesiis requiescerent.

Neque ignorat Caluinista, quam sanctè sacris Canonibus & Pontificum rescriptis constitutum sit, vt sepulturæ gratis concedantur: Audi S. Gregorium lib. 7. Registri Epist. 56. Et exstat apud Gratianum XIII. Q. II. cap. 12. *Questa est nobis Nereida clarißima fœmina, quòd ab*

ea

ea centum solidos pro filia suæ sepultura fraternitas vestra nō erubescat exigere: atq; ei super doloris gemitum maiorem dispendij studeat inferre molestiam. Quod si ita se veritas habet; quia graue nimis est, & procul nimis [illegible] sacerdotis officio precium de terra concessa putredini quærere, [illegible] de alieno velle facere luctu compendium: ab hac se petitione [illegible] fraternitas vestra contineat, & molesta ei de cætero non existat: maximè quia & Hortulanum quondam, de quo se ipsam asserit filiam suscepisse, Ecclesia vestra non in pauca quantitate munificam memorat extitisse. Hoc autem vitium & nos postquam, DEO *auctore, ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & prauam denuò consuetudinem nequaquā vsurpari permisimus: memores, quia dum Abrahā à filiis Emor, hoc est, Ephron, filio Seor sepulchrum precio ad humandum corpus coniugis postularet, precium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus. Si ergò tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Vnde ne hoc auaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed, si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes pro luminaribus spōte quid offerre voluerint, accipere nō vetamus. Peti verò, aut aliquid exigi omnino prohibemus; ne, quod valdè irreligiosum est, aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia; aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorū cadauerib. studeatis quærere, quolibet modo cōpendium.* Gen. 23.

Idem argumentū tractat S. Grego. eod. lib. 7. epist. 4. Idemq; præcipiunt sacri Canones apud Gratianū cap. *præcipiendum* cap 13. q. 2. Ibid. cap. *In Ecclesiastico* & cap. *Abolendæ* ext. de sepulturis & cap. *ad Apostolicam* extr. de Simonia. Interim sacri Canones non vetant, quo minus quis id admittat, quod vltro offertur: nec prohibent cōsuetudines quibus vel pro cōseruatione,

 vel

vel pro ſartis tectis Eccleſiæ, vel pro ſtipendio miniſtrorum aliquid exigitur, dummodo illud modum nõ excedat; præſertim quando quis propriam ſepulturam pro ſe & ſuis hæredibus, vel certè extra locum conſuetum petit. At iſti vbique neſcio quos pingues reditus, & opiparas offas ſomniànt, cum tamen Prædicantes, ſaltem Lutherani, pro declamationibus funereis, an funeſtis? quas inſtituunt, vberem mercedem ſibi perſolui velint. Et niſi perſoluatur, tam elingues non ſunt, vt flagitare nequeant; neque etiam tam indiſerti, vt vbi datur occaſio, pro ſuggeſtu, eum, qui minus in eos dapſilis fuit, Satyricè traducere non valeant.

Obiicit Hoſpinianus. *Non eſſe prorſus ſuperſtitioſum quod plerumq; templa febricitantibus, prægnantibus, aut quauis infirmitate laborantibus noxia & contagioſa cenſeantur, id enim fieri cum propter indiſcretæ multitudinis confuſum halitum, tum maximè propter ſepulchrorum in iis exiſtentium funeſtum fœtorem.*

Reſpondeo, quòd templa, cœmeteria, & alia ſacra loca ægris, præſertim febricitantibus, exiſtimantur noxia, plus anilis ſuperſtitionis, quam ſolidæ rationis habet; præcipuè, ſi quis ea extra concurrentis turbæ tumultum adeat; quem malè affectis nocere poſſe, mirum non eſt, cum & bene affectis aliquando ægritudinem pariat. At fœtorem, & quidem funeſtum, qui ex ſepulchris exiſtat, huius mali cauſſam eſſe, non credet, qui templa ſæpius, quàm Caluiniſtæ ingreſſus eſt, neque tamen vnquam naribus hunc *funeſtum fœtorem* hauſit.

Caluiniſtis profectò odoram narium vim eſſe oportet, ſi ipſi ſoli cadauerum in ſepulchris altè defoſſorum tetrum odorem ſentiunt; quo tamen abſterriti nõ fuerunt,

runt, quo minus Catholicorum templa, & Monasteria, in quibus innumera hominum multitudo sepulta erat, occuparent, & in suos profanos vsus conuerterent. Quo facto, mox fætor ille in suauissimum odorem cõuersus est; & mortuorum corpora iam non mephitim, sed myrrham electissimam, & purum putum balsamũ olere cœperunt. Quocirca non eguerunt amplius, sicuti neque iam egent, thure & aliis suffimentis suis in delubris; quia Caluinismus & Zvvinglianismus omnes Arabicos odores, quamuis odoratissimos, odore suo longissimè superat, etiamsi non incendatur.

Porro, vt & hoc moneam, etsi absolutè loquendo non refert, vbi quis sepeliatur, cuiuis tamen Catholico id in optatis esse debet, ne sepeliatur cum lupis, hoc est, cum hæreticis; & vicissim, ne lupi, hoc est, hæretici inferantur in templa & cœmeteria Catholicorum. Quæ enim conuentio luci ad tenebras? Etsi autẽ olim, iure antiquo, per sepulturam hæreticorum, vt & aliorũ quorumcumque maiori excommunicationi subiacentium, templa & cœmeteria profanabantur; id tamen iam iure nouo Extrauag. Martini V. non contingit, nisi sint nominatim excommunicati ac denunciati, vel notorij clericorum percussores: vt docet Suaretz Tom. 5. de censuris disp. 12. sect. 4. Quod diligenter notandum est, propter multarum vrbium & oppidorum in Germania consuetudinem, vbi hæretici in Catholicorum templis & cœmeteriis sepeliuntur; non enim propterea violantur, quia non sunt nominatim excommunicati & denunciati; nec notorij clericorum percussores. Et iis in prouinciis, in quibus Hæretici magno numero Catholicis permisti sunt, multa

orthodoxi tolerare coguntur, quæ cùm sacris Ecclesiæ scitis haud satis congruunt.

Quæsiuit olim quoque Constantinus Cabasilas Archiepiscopus Dyrrhachij ex Ioanne Episcopo Citri, num fas esset Græcos, (quos ipse *orthodoxos* nominat) *sepelire in Latinorum Ecclesiis: & num ferendum, quod illis psalmodia funebres tam à Græcis, quàm à Latinis decantarentur: vt & Latinis defunctis.* Respondit *Citrius*; *non esse à ratione alienum, neque pietatem vllo modo offendere, Latinos sepelire in Græcorum Templis, & vice versa, Græcos in Templis Latinorum; & hos ab illis, & illos ab his funebribus Psalmodiis decantari posse; nam & in Latinorum templis vigere veneranda Crucis aliarumque imaginum venerationem.* Hæc quidem olim fortasse in vsu erant. Hodie profectò postquam Græci in apertum schisma proruperunt, neque Græcus Latino, neque hic illi suo in templo sepulturam concederet, nisi necessitas ineuitabilis vel hunc vel illum compelleret, vt accidit Catholicis in Germania & aliis ad Septentrionem prouinciis, vbi hæreticos in sua cœmeteria & Ecclesias ad sepulturam recipere coguntur.



CAPVT

CAPVT IX.

De cœmeteriis.



LIA loca, ad quæ funera ducebantur, erant cœmeteria, quasi dicas; *dormitoria*; quia more Christianorum, somnus est & quies, de qua fideles excitationem sperant & exspectant. Ea olim extra vrbes erant; quemadmodum & aliorum sepulturæ; Romæ potissimum; nam intra vrbem, pauculis exceptis, neminem fas erat tumulare aut tumulari: nisi forsan occultè, & insciis aliis; quod sæpe factum, in ædibus præsertim priuatis, hortis item & cryptis.

Erant autem cœmeteria specus subterraneæ non tantum sepeliendis mortuis, sed & persecutione grassante, seruandis & tegendis viuentibus idoneæ: tantæ interdum magnitudinis & amplitudinis, vt speciem quandam oppidorum præ se ferrent, *quorum vsus*, (adscribam verba Illustrissimi Baronij Tom. 2. Anno Redemptoris CXXX.) *non modò inseruiebat humandis defunctorum corporibus, ex quo & nomen est inditum, sed & persecutionis tempore ad latebras Christianorum. Mirabile dictu: vidimus, sæpiusq́ lustrauimus Priscillæ cœmeterium, haud pridem inuentum atque refossum via Salaria, tertio ab vrbe lapide: quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ eius amplitudine, multisq́ atque diuersis eiusdem viis, quàm subterraneam ciuitatem: quippe quod, ipsius ingressu, primaria via, cæteris amplior, pateat, quæ hinc inde vias diuersas habeat, easdemq́ frequentes, quæ rursum in diuersos viculos diuidantur, & angiportus: rursus, vt in ciuitatibus, statis locis velut fora quadam, ampliora sint spacia, ad conuentus sacros agendos, eademq́ sanctorum imaginibus exornata; nec desint, licet nunc obstructa, ad lumen recipiendum desu-*

desuper excisa foramina. Obstupuit vrbs, cum in suis suburbiis abditas se nouit habere ciuitates, Christianorum, tempore persecutionis, olim colonias, modo autem sepulchris tantum refertas: & quod legebat in chartis, vel videbat ex aliis cœmeteriis, aliqua solùm ex parte reclusis, tunc plenius intellexit: quæ enim de iisdem apud S. Hieronymum, vel Prudentium legerat, suis ipsius oculis intuens, vehementer admirabunda spectauit.

S. Hieron. in Ezechiel. Prudent. peri Stephan. in Hippolyt.

Docet idem Illustrissimus Annalium scriptor ad Annum Christi CC. XXVI. cœmeteria, *areas* quoque dicta; item *tumbas, catatumbas, & cryptas arenarias; & ab Hebræis descendisse eiusmodi consuetudinem sepeliendi mortuos in cryptis & speluncis*, excisis in earum recessibus, loculis; *Ad hoc namq; opus Abraham ab Ephron speluncam duplicem emit*, Gen. 23. Fuit & sepulchrum Redemptoris nostri excisum in petra, seu in spelunca Petræ. Ad eandem sepulchrorum formam respexit S. Epiphanius, quando Hæresi XXX. hæc scripsit. *Abducunt miserum adolescentem post occasum solis in propinquas tumbas: sepulchra autem sic appellantur, speluncæ videlicet in petris effossæ ac constructa.*

Proponit deinde Baronius Catalogum cœmeteriorum, quæ Romæ fuerunt; quod & antea fecerat Onuphrius proprio libello de cœmeteriis, ca. 12. vbi XLIII. huius generis cœmeteria percenset; quem lector arbitratu suo consulere potest: qui cap. 11. contendit cœmeteria *non solùm idem cum Ecclesiis fuisse, sed aliquid amplius, quàm Ecclesias vrbanas, sepulchra scilicet Christianorum, & in iis stationes synodosq; habitas, & Sacramenta administrata.* Quod verum est; sed hæc omnia sub terra, non supra terram erant; nisi postquam Pax Ecclesiæ est reddita, summaque rerum ad Christianos peruenit; tunc

tunc enim publicis Ecclesiis pleraque cœmeteria honorata & exornata sunt; & hoc euincunt Onuphrij, quæ producit, testimonia.

Quæ cœmeteria assiduo pij populi concursu celebrabantur, idque gratia honorandi Martyres, iis in locis sepultos. S. Hieronymus in cap. 40. Ezech. de seipso quolibet die Dominico hæc cœmeteria obeunte. *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & martyrum circumire, crebroq́ue cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex vtraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; & ita obscura sunt omnia, vt propemodum illud propheticum compleatur: Descendant in infernum viuentes: & rarò desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, vt non tam fenestram, quàm foramen demissi luminis putes: rursumq́ue pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur: Horror vbique animos, simul ipsa silentia terrent.*

Prudentius quoque agens de cœmeterio Cyriacæ in Agro Verano, ita canit.

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo,
Mersa latebrosis crypta patet foueis.
Huius in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus, luce latente, docet.
Primas namq́ue fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratq́ue dies limina vestibuli.
Inde vbi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura, loci per specus ambiguum:
Occurrunt cæsis immensa foramina tectis,
Qui iaciunt claros antra super radios.

P *Quam-*

Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
Arcta sub vmbrosis atria porticibus:
Attamen excisi subter caua viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusq; frui.

Idem de frequentia illuc accedentium vbi S. Hippolyti corpus requiescebat.

Mane salutatum concurritur: omnis adorat
Pubes: eunt, redeunt, solis ad vsq; obitum.

Cessarunt autem, inquit Baronius, *Fidelium studia in cœmeteriis adeundis, postquam ea, quæ ibi sita erant corpora sanctorum Martyrum intra vrbem sunt delata, & in diuersis Ecclesiis honorificentius collocata.* Etsi olim tantus ad ea esset concursus, vt Imperatores Ethnici Christianos, etiam edictis propositis, inde arcerent, vt videre est apud Eusebium lib. 7. cap. 10. & 12.

Posteris temporibus spatia quædam iuxta templa mortuis sepeliendis destinata sunt, quæ & ipsa cœmeteria hodieque appellantur; alibi quidem intra ciuitates; alibi extra; & si extra; Ecclesiâ interdum adiunctâ interdum nullâ; & in his, præter illos, qui suos in Ecclesiis tumulos habent; sepulturæ mandantur Christianorum corpora; & aliquando quidem terræ infodiuntur; *terram autem optimum habemus operimentum*, inquit S. Chrysostomus Homil. 84. in Ioan. *& ipsi corporum naturæ decentius.* Aliquando quasi in conclauibus cameratis & fornicatis; quibus cœmeteria vel templa constant; deponuntur; pro varia regionum consuetudine, sunt & qui extra humum, in sublimi; nempe in Ecclesiarum parietibus, sepulchra sibi erexerint.

Sunt

Sunt autem Christianorum cœmeteria loca sacra, Deo certis ritibus dedicata; hinc etiam iisdem fere quibus ipsæ Ecclesiæ, priuilegiis ac immunitatibus potiuntur. Germani pulcherrimo nomine appellant Gottsacker/hoc est, *agrum Dei*, in quo Deus suam sementem segetemque habet, quam sub finem mundi tanquam messi iam maturam, demetet, & in cœleste horreum inuehet ac inferet, Zizaniis in ignem inextinctum missis: nam & in hoc *Dei Agro* lappas & tribulos, & filices subnasci, non mirum, cum ipsi Ecclesiæ agro idem eueniat.

Iidem Germani nominant cœmeterium, ein Freythoff/quasi dicas: *Feriatam aulam* seu *villam*, hoc est, *immunem* ac *liberam*; nec enim mihi dubium est, illud Freyt/seu Gefreydt/Gfreydt/descendere à Latino vocabulo *feriatus* seu *feria*, quasi *friat*. qua appellatione Germani immunitatem & libertatem cœmeteriorum denotare volunt. Nominant insuper Kirchhoff. Sed ea fermè cœmeteria, quæ templis ipsis adhærent, quia sunt Ecclesiarum velut atria.

CAPVT X.

Nouatorum in cœmeteriis nouandis impium studium.

OMITTI hic minimè debet temeraria Nouatorum nouitas, qui vt omnia nouarent, multis in locis vetera CATHOLICORVM cœmeteria, intra vrbes, & ad templorum septa, repudiarunt, & noua longius ab vrbibus condiderunt; forsan proprium

quoque conditurì cælum, si id fieri potuisset; Etsi Vbiquistæ nouum moliti sunt; sed cuius fabrica nuspiam exstet, nisi in malè feriatis Vbiquistarum capitibus.

Audiamus Georgium Vicelium, qui aliquandiu in castris Lutheri, Luthero viuente, meruit; qui quæ vidit, in literas retulit in libello, quem inscripsit: *Retectionem Lutherismi.* Lipsiæ Anno salutis M.D XXXVIII. Excuso. *Cœmeteria patrum suorum mutarunt, ne quid reliquum esset, quod non mutaretur. Tale à nulla nullius Thraciæ gente compertum est vlli. Curant nunc efferri dormientes suos procul in loca Caluariæ omnis generis. Hac verò polyandria noua inuenit noui istius Euangelici populi delicata nausea, qua hoc, quod ipsi mox futuri sunt, intra ciuitatum mœnia ferre grauantur. Causantur pestem ex sepulchrorum vicinia oriri; cum nunquam crudelius desæuierit pestis, quam ab eo tempore, quo isthuc designare cœperunt, idq; passim. Verùm, an non summum dedecus est, quod qui antea Antichristiani (loquor mimiticè) pestilentiam nihil aut certè parum reformidarunt, nunc Christiani existentes, immanè quam horreant? Nemo nunc ferè ægrotos inuisit, nemo contrectare pestilentes amplius audet, nemo vel eminus videre, & cœpit omnium animos mirus pauor. Opus esse nunc video, vt à magistratibus sæpe adigantur, qui efferant defunctos. Vbi fides omnipotens, quam toties declamitamus? Vbi charitas proximi? Dic tu mihi per Christum, an vnquam minus fiducia, minus charitatis inter Christianos extiterit? O nos, quo labimur. Quam turpiter, quàm indignè, quam diabolicè impegimus. Septimius Tertullianus dicebat, Christianorum esse, quam citissimè terris discedere. At nos Euangelici ita terras amplectimur, vt mallemus perpetuo hîc viuere, Christo relictis cœlis. Nolumus libentes terreno egredi hospitio, tam benè no-*

nè nobis conscij sumus in Euangelio ab inferis reuocato, tam certi sumus scilicet de sinu Abraha.

En noui Euangelij præclaros & eximios fructus. qui adeo profani sunt, vt multis in locis noua sua cœmeteria, Crucis aut Crucifixi imagine non insigniant: satis eo ipso declarantes, se, cum viuerent, sub Crucis & Crucifixi auspiciis non militasse; ac proinde iam vita functos mercedem non à crucifixo, sed à Crucis & Crucifixi iurato hoste accepisse.

Scripsit idem Wicelius aduersus sectarios de mutatis Cœmeteriis, proprium opusculum Germanicâ lingua; in quo copiosè satis refellit caussas, quibus adducti hanc mutationem susceperunt: Nec ego video, quid eos ad hoc impellere potuerit, quam odium in suos maiores, cum quibus in eodem terræ cubiculo dormire noluerunt, quasi ipsis sanctiores essent. Accesserat forsan etiam aliquid auersionis & ab alienationis à locis olim Catholico ritu consecratis; cuius benedictionis & consecrationis ne participes fierent, nihil consultius existimarunt, quam vt renouata XII. Tabularum lege, mortuos omnes extra vrbium mœnia in ea loca deportarent, quæ non magis consecrata sunt ac illa, in quæ efferuntur iumentorum cadauera, vt proinde iustius talis locus appelletur, ein Gsottacker / quam ein Gottsacker. Quid autem sit Gsott / norunt Germani.

Nam, quòd dicunt, *infici aërem, & pestem nasci ex sepulturis intra mœnia*, id iam à Wicelio refutatum audiuimus. At Iudæi extra ciuitates in agris sepeliebantur, id liquet exemplo Patriarcharum, præsertim trium illorum Principum Abrahæ, Isaac & Iacob, qui in spelunca agri sepulti, vt in Genesi legimus. Idem mõstrat ex-

emplum adolescentis illius,qui efferebatur extra portas ciuitatisNaim, Matre vidua, & numeroso populo funus comitante: & notus est Iudæorum mos funera exvrbibus efferendi.

At non immeritò quærit Wicelius, cur sectarij malint se cum Iudæis conformare,quam cum Christianis, maioribus suis? Quis est iste Spiritus? Deinde, si vsque adeo Iudaizare iuuat; conducant etiam funeribus suis tibicines; hos enim lugubres modos in Iudæorum funeribus fecisse, discimus ex capite 9. sancti Matthæi.

Nec se tueri possunt exemplo quorundam veterum Christianorum, quibus mos, mortuos extra vrbis portas sepeliendi,tum quia alij Christiani numero his non inferiores contrarium fecerunt;tum quia mos ille tandem desiit, tum quia veteres alias suæ consuetudinis caussas habuerunt; neque in hoc vel Iudæos vel Ethnicos imitari voluerunt. Nec instar istorum, stultè formidarunt, ne cœlum ex cadaueribus intra vrbis mœnia tumulatis, corrumperetur; quasi verò si quæ hinc corruptio timenda esset,ea non æquè extra ac intra ciuitatum portas timenda esset; cum isti sua cœmeteria non habeant tam procul ab vrbibus dissita, quam procul distat Iaponia à Germania. Nec prisci illi odio consecratorum templorum & cœmeteriorum mortuis sedes extra vrbes quæsierunt; vt ab istis factum, quos Waldensium Alastor largiter afflauit, nam & his cœmeteria antiqua admodum exosa erant, vt notum ex scriptoribus, qui Waldensium errores litteris consignarunt.

Obiiciunt. *Etiam Papistas extra portas ciuitatis cœmeteria condidisse*. Respondeo,alicubi rem ita se habere, vbi

vbi vel cœmeteria intra vrbes non sufficiunt; vel alias ob caussas legitimas; sed hæc est differentia inter nostra cœmeteria *campestria*, vt ita loquar, & hæreticorum; quod nostra sunt consecrata; Et sæpe etiam Ecclesiis vel sacellis Deo dedicatis, decorata: At noua hæreticorum cœmeteria prorsus sunt profana; nec vllis mysticis ritibus ex numero rerum triuialium exempta. Quapropter cum initio Lutheranismi Enthusiasmus iste grassaretur; multi ex illis, quibus Lutherus oculos penitus non ademerat, ad limen mortis prouecti, grauissimè conquerebantur, quod à maiorum suorum sepultura abstraherentur, & ad noua illa mortuorum cubilia deportarentur. Hinc bonus ille senex in Palatinatu non procul à Werda, oppido Episcopali ad Danubium, infra Ratisbonam, morti, atque adeo Lutherano cœmeterio iam proximus, in has lamentabiles voces erupit. Das sey Gott klagt / daß ich nach meinem Tod in den Rubenacker hinauß muß / vnnd die Ruben hüten. *Prò dolor, quòd post mortem meam, ad agrum raparum proficisci, & raparum custos fieri cogor.* Intelligebat nimirum, noua ista cœmeteria nihil ab aliis agris campisque differre: Et perinde esse, siue quis in Lutherano cœmeterio, siue extra illud in alio agro vel prato sepeliretur.

Postea tamen, vbi fanaticus feruor nonnihil elanguit ac deferbuit, ad cœmeteria, etiam intra vrbes, Catholico ritu consecrata, redierunt; neque vsque adeo multis in locis communionem cum Catholicis auersantur, vt mortui cum illis in eodem loco cubare nolint. imò alicubi simpliciter ferre nolunt, vt excludantur. At Catholicis optandum est, vt

ab

ab istis hospitibus liberentur; & cœmeteria sua pura, & ab his labibus intacta seruent. Vtinam Nouatores, quandiu ad orthodoxam religionem reuerti nolunt, suo in Enthusiasmo condendi noua cœmeteria, & vetera fugiendi, perstitissent. Catholicos certè ingenti molestia liberassent; & locis religiosis sua integritas incolumis constitisset.

Magnificè quidem Brentius Homilia 69. in Lucam & alij Prædicantes passim, sepulturæ & cœmeteriorum sanctitudinem deprædicant; Ex quorum grege Brentius: *Non comitamur, nec honestè sepelimus defunctum asinum aut bouem, quia non resurget, sed id honoris homini proximo impendendum est, vt ipsa re significemus, aliam esse nostram conditionem, quam bestiarum. Quare corpora nostra tanquā sacra reliquia, terra mandanda sunt, & locus sepultura non aliter habendus est, quam sacrum, quod dicitur, κοιμητήριον, hoc est, dormitorium, in quo corpora piorum requiescunt, non omnino mortua, sed potius dormientia, & exspectantia diem illum, in quo gloriosa in cælum ascendent, & cum Christo magnificè regnabunt.* Hæc Brentius, & his similia alij Prædicantes. Quibus tamen Lutherani non multum mouentur; testatur enim *Simon Pauli* Prædicans Lutheranus, Homilia in Euangelium de adolescente ex Naim, esse Lutheranos, quibus perinde sit, siue sepeliantur in cœmeterio, siue auff der Schindergrub/ *in loco, vbi excoriantur iumentorum cadauera.*



CAPVT

CAPUT XI.

Quos sacri Canones ab Ecclesiastica sepultura excludant. Quis mos Nouatoribus.



CONSECRANTUR apud Catholicos cœmeteria, siue Ecclesiis adiuncta, siue ab illis disiuncta, & quidem peculiaribus cæremoniis, quarum forma in Ritualibus libris exstat. Eam ob caussam cœmeteria Catholicis in honore sunt ac reuerentia, & non tantum propter sementem, vt ita loquar, illic sparsam, hoc est, propter orthodoxorum corpora ibi requiescentia, & communem Resurrectionem placidè exspectantia; Quanquam & iste iustus titulus est, cœmeteria in honore habendi; & ab omnibus actionibus profanis, licet peccato careant, liberandi & eximendi, *Cœmeteria in quibus sepulti sunt Christiani*, inquit ex Isidoro Lucas Tudensis, *in reuerentia à fidelibus sunt habenda, ita vt quoties per ea transeunt, pro illis orare, & sua debent nouissima cum gemitu cordis ad memoriam reuocare. Quamuis enim non manifestentur miraculis, multa tamen Dei amicorum corpora quiescunt in illis; quia non omnes sancti miracula nobis visibilia operantur. Malleus Hæreticorum fortissimus Augustinus, per cœmeteria incedere & pro illis non orare, quasi sacrilegium asseuerat. Quid igitur illis erit, qui in Christianorum cœmeteriis, blasphemias, furta, fornicationes, adulteria, stupra, vel quæque vana committunt, cum pro fidelibus in sacris cœmeteriis non orare, quasi sacrilegium iudicetur.* *Tudens. lib. 1. contra Albigens. cap. 9 [?]*

Quo fit, vt Catholici non quosuis sua ad Cœmeteria admittant; Inde enim excluduntur omnes infide-

Digitized by Google

les, Iudæi, Ethnici, Hæretici. Et de hæreticis quidem exstat hæc sanctio in sexto Decretalium lib. 5. tit. *de Hæreticis*, cap. 2. *Quicunque hæreticos, credentes, receptatores, defensores vel fautores eorum, scienter præsumpserint Ecclesiastica tradere sepulturæ; vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere: nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetua careat sepultura.*
II. Manifestè vsurarij. cap. Quia, ext. De vsuris. cap. Quanquam, in 6. eod. tit. & hoc, nisi pœnitentiam egerint. III. Omnes illi, quos liquet in sceleribus suis absque male commissorum detestatione animam efflasse. IV. Mortuus in *Torneamentis*, cap. 1. ext. de *Torneamentis*. V. Homicida suiipsius. VI. Excommunicatus excommunicatione maiore. VII. Qui in Paschate Eucharistiam non accepit. VIII. Nominatim interdictus. IX. Monachus proprietarius. X. Infans non baptizatus, licet ex Christianis parentibus progenitus; & alij nonnulli, de quibus Syluester V. sepultura q. 9. & 10. Quorum cadauera si internosci queant, exhumanda, & in profanum locum abiicienda sunt, ex decreto sacrorum Canonum: Et hoc propter reuerentiam, quæ cœmeteriis, aliisque sacris locis debetur.

Quid verò sectarij? Num quem cœmeteriis suis honorem habent? Exiguum sanè. *Agenda* Brunsuuicensis cœmeteria sepire iubet, ne pecoribus pateat aditus. Non prorsus inhumanè; nec irreligiosè. Minus tamen reuerentiæ habet, quòd infantes non baptizatos in commune cum cæteris contubernium recipit: *idque ex laudabili*, vt inquit, *Ecclesiarum Reformatarum consuetudine*. Quomodo hæc consuetudo vocatur laudabilis,

bilis, cum laudabili maiorum consuetudini aduersetur, qui infantes istos sedibus sepulchralibus semper à mortuis baptizatis discreuerunt; par non esse arbitrati, vt cubilibus hîc iungerent, quos in altero sæculo diuersa habitacula excipiunt, & excipient, nunc quidem quoad animas; postea itidem, quoad corpora. At dicunt; se id facere ob parentum consolationem. Quæ verò hæc consolatio, nisi vana & vmbratilis? Rectius dicerent Nouatores, se id facere, quod credant huiusmodi infantibus baptismi priuationem ad salutem adipiscendum non officere: Huc enim LVTHERANI Prædicantes tacitè collineant, cum Caluinistis hac in impietate satis apertè colludentes.

Nec honori cœmeteriorum competit illud, quod eadem Agenda concedit; nimirum, *vt adulteri, scortatores, fures, vsurarij, & similes, qui ab omni vsu Sacramentorum abstinuerunt, & ad pastoris sui vocem vitam in melius non commutarunt, in flagitiis & sceleribus suis mortui ac sepulti sepeliantur cum aliis Lutheranis in communi cœmeterio, sed tamen sine processione, sine cantu, aliisque Lutheranis caremoniis.* Nec Agenda cogit *Ludimoderatores & Pradicantes, vt funeri intersint*; quamuis eo ipso eis liberam facit potestatem, vt intersint, si interesse velint. Qua concessione non inuiti vtentur, si aliqua spes prædæ affulgeat. At mirum sanè est, Lutheranos, illis suo in cœmeterio locum dare, quos ob impœnitentiam, & in sceleribus non tantum vsque, sed & supra extremum halitum obstinatione vitam finiisse norunt, & tantum ea pœna mulctare, vt funebri processione & cantilenis lugubribus careant; quas scilicet isti vitâ cassi tanti pendunt; quanti, dum vitalibus

Q 2 auris

Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
Arcta sub vmbrosis atria porticibus:
Attamen excisi subter caua viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusq́ frui.

Idem de frequentia illuc accedentium vbi S. Hippolyti corpus requiescebat.

Mane salutatum concurritur: omnis adorat
Pubes: eunt, redeunt, solis ad vsq; obitum.

Cessarunt autem, inquit Baronius, *Fidelium studia in cœmeteriis adeundis, postquam ea, quæ ibi sita erant corpora sanctorum Martyrum intra vrbem sunt delata, & in diuersis Ecclesiis honorificentius collocata.* Etsi olim tantus ad ea esset concursus, vt Imperatores Ethnici Christianos, etiam edictis propositis, inde arcerent, vt videre est apud Eusebium lib. 7. cap. 10. & 12.

Posteris temporibus spatia quædam iuxta templa mortuis sepeliendis destinata sunt, quæ & ipsa cœmeteria hodieque appellantur; alibi quidem intra ciuitates; alibi extra; & si extra; Ecclesiâ interdum adiunctâ interdum nullâ; & in his, præter illos, qui suos in Ecclesiis tumulos habent; sepulturæ mandantur Christianorum corpora; & aliquando quidem terræ infodiuntur; *terram autem optimum habemus operimentum*, inquit S. Chrysostomus Homil. 84. in Ioan. *& ipsi corporum naturæ decentius.* Aliquando quasi in conclauibus cameratis & fornicatis; quibus cœmeteria vel templa constant; deponuntur; pro varia regionum consuetudine, sunt & qui extra humum, in sublimi; nempe in Ecclesiarum parietibus, sepulchra sibi erexerint.

Sunt

Sunt autem Christianorum cœmeteria loca sacra, Deo certis ritibus dedicata; hinc etiam iisdem fere quibus ipsæ Ecclesiæ, priuilegiis ac immunitatibus potiuntur. Germani pulcherrimo nomine appellant Gottsacker/hoc est, *agrum Dei*, in quo Deus suam sementem segetemque habet, quam sub finem mundi tanquam messi iam maturam, demetet, & in cœleste horreum inuehet ac inferet, Zizaniis in ignem inexstinctum missis: nam & in hoc *Dei Agro* lappas & tribulos, & filices subnasci, non mirum, cum ipsi Ecclesiæ agro idem eueniat.

Iidem Germani nominant cœmeterium, ein Freythoff/quasi dicas: *Feriatam aulam* seu *villam*, hoc est, *immunem* ac *liberam*; nec enim mihi dubium est, illud Freyt/seu Gefreydt/Gfreydt/descendere à Latino vocabulo *feriatus* seu *feria*, quasi *friat*. qua appellatione Germani immunitatem & libertatem cœmeteriorum denotare volunt. Nominant insuper Kirchhoff. Sed ea fermè cœmeteria, quæ templis ipsis adhærent, quia sunt Ecclesiarum velut atria.

CAPVT X.

Nouatorum in cœmeteriis nouandis impium studium.



OMITTI hic minimè debet temeraria Nouatorum nouitas, qui vt omnia nouarent, multis in locis vetera CATHOLICORVM cœmeteria, intra vrbes, & ad templorum septa, repudiarunt, & noua longius ab vrbibus condiderunt; forsan proprium

quoque conditurī cælum, si id fieri potuisset; Etsi Vbiquistæ nouum moliti sunt; sed cuius fabrica nuspiam exstet, nisi in malè feriatis Vbiquistarum capitibus.

Audiamus Georgium Vicelium, qui aliquandiu in castris Lutheri, Luthero viuente, meruit; qui quæ vidit, in literas retulit in libello, quem inscripsit: *Retectionem Lutherismi*. Lipsiç Anno salutis M.D XXXVIII. Excuso. *Cæmeteria patrum suorum mutarunt, ne quid reliquum esset, quod non mutaretur. Tale à nulla nullius Thracia gente compertum est vlli. Curant nunc efferri dormientes suos procul in loca Caluaria omnis generis. Hac verò polyandria noua inuenit noui istius Euangelici populi delicata nausea, qua hoc, quod ipsi mox futuri sunt, intra ciuitatum mœnia ferre grauantur. Causantur pestem ex sepulchrorum vicinia oriri; cum nunquam crudelius desæuierit pestis, quam ab eo tempore, quo isthuc designare cœperunt, idq́ passim. Verùm, an non summum dedecus est, quod qui antea Antichristiani (loquor mimiticè) pestilentiam nihil aut certè parum reformidarunt, nunc Christiani existentes, immanè quam horreant? Nemo nunc ferè ægrotos inuisit, nemo contrectare pestilentes amplius audet, nemo vel eminus videre, & cœpit omnium animos mirus pauor. Opus esse nunc video, vt à magistratibus sæpe adigantur, qui efferant defunctos. Vbi fides omnipotens, quam toties declamitamus? Vbi charitas proximi? Dic tu mihi per Christum, an vnquam minus fiducia, minus charitatis inter Christianos extiterit? O nos, quo labimur. Quam turpiter, quàm indignè, quam diabolicè impegimus. Septimius Tertullianus dicebat, Christianorum esse, quam citissimè terris discedere. At nos Euangelici ita terras amplectimur, vt mallemus perpetuo hic viuere, Christo relictis cœlis. Nolumus libentes terreno egredi hospitio, tam benè no-*

nè nobis conscij sumus in Euangelio ab inferis reuocato, tam certi sumus scilicet de sinu Abrahæ.

En noui Euangelij præclaros & eximios fructus. qui adeo profani sunt, vt multis in locis noua sua cœmeteria, Crucis aut Crucifixi imagine non insigniant: satis eo ipso declarantes, se, cum viuerent, sub Crucis & Crucifixi auspiciis non militasse; ac proinde iam vita functos mercedem non à crucifixo, sed à Crucis & Crucifixi iurato hoste accepisse.

Scripsit idem Wicelius aduersus sectarios de mutatis Cœmeteriis, proprium opusculum Germanicâ lingua; in quo copiosè satis refellit caussas, quibus adducti hanc mutationem susceperunt: Nec ego video, quid eos ad hoc impellere potuerit, quam odium in suos maiores, cum quibus in eodem terræ cubiculo dormire noluerunt, quasi ipsis sanctiores essent. Accesserat forsan etiam aliquid auersionis & ab alienationis à locis olim Catholico ritu consecratis; cuius benedictionis & consecrationis ne participes fierent, nihil consultius existimarunt, quam vt renouata XII. Tabularum lege, mortuos omnes extra vrbium mœnia in ea loca deportarent, quæ non magis consecrata sunt ac illa, in quæ efferuntur iumentorum cadauera, vt proinde iustius talis locus appelletur, ein Gsottacker/ quam ein Gottsacker. Quid autem sit Gsott/ norunt Germani.

Nam, quòd dicunt, *infici aërem, & pestem nasci ex sepulturis intra mœnia*, id iam à Wicelio refutatum audiuimus. At Iudæi extra ciuitates in agris sepeliebantur, id liquet exemplo Patriarcharum, præsertim trium illorum Principum Abrahæ, Isaac & Iacob, qui in spelunca agri sepulti, vt in Genesi legimus. Idem mõstrat ex-

emplum adolescentis illius, qui efferebatur extra portas ciuitatis Naim, Matre vidua, & numeroso populo funus comitante: & notus est Iudæorum mos funera ex vrbibus efferendi.

At non immeritò quærit Wicelius, cur sectarij malint se cum Iudæis conformare, quam cum Christianis, maioribus suis? Quis est iste Spiritus? Deinde, si vsque adeo Iudaizare iuuat; conducant etiam funeribus suis tibicines; hos enim lugubres modos in Iudæorum funeribus fecisse, discimus ex capite 9. sancti Matthæi.

Nec se tueri possunt exemplo quorundam veterum Christianorum, quibus mos, mortuos extra vrbis portas sepeliendi, tum quia alij Christiani numero his non inferiores contrarium fecerunt; tum quia mos ille tandem desiit, tum quia veteres alias suæ consuetudinis caussas habuerunt; neque in hoc vel Iudæos vel Ethnicos imitari voluerunt. Nec instar istorum, stultè formidarunt, ne cœlum ex cadaueribus intra vrbis mœnia tumulatis, corrumperetur; quasi verò si quæ hinc corruptio timenda esset, ea non æquè extra ac intra ciuitatum portas timenda esset; cum isti sua cœmeteria non habeant tam procul ab vrbibus dissita, quam procul distat Iaponia à Germania. Nec prisci illi odio consecratorum templorum & cœmeteriorum mortuis sedes extra vrbes quæsierunt; vt ab istis factum, quos Waldensium Alastor largiter afflauit, nam & his cœmeteria antiqua admodum exosa erant, vt notum ex scriptoribus, qui Waldensium errores litteris consignarunt.

Obiiciunt, *Etiam Papistas extra portas ciuitatis cœmeteria condidisse*. Respondeo, alicubi rem ita se habere, vbi

vbi vel cœmeteria intra vrbes non ſufficiunt; vel alias ob cauſſas legitimas; ſed hæc eſt differentia inter noſtra cœmeteria *campeſtria*, vt ita loquar, & hæreticorum; quod noſtra ſunt conſecrata; Et ſæpe etiam Eccleſiis vel ſacellis Deo dedicatis, decorata: At noua hæreticorum cœmeteria prorſus ſunt profana; nec vllis myſticis ritibus ex numero rerum triuialium exempta. Quapropter cum initio Lutheraniſmi Enthuſiaſmus iſte graſſaretur; multi ex illis, quibus Lutherus oculos penitus non ademerat, ad limen mortis prouecti, grauiſſimè conquerebantur, quod à maiorum ſuorum ſepultura abſtraherentur, & ad noua illa mortuorum cubilia deportarentur. Hinc bonus ille ſenex in Palatinatu non procul à Werda, oppido Epiſcopali ad Danubium, infra Ratiſbonam, morti, atque adeo Lutherano cœmeterio iam proximus, in has lamentabiles voces erupit. **Das ſey Gott klagt / daß ich nach meinem Tod in den Rubenacker hinauß muß / vnnd die Ruben hüten.** *Prò dolor, quòd poſt mortem meam, ad agrum raparum proficiſci, & raparum cuſtos fieri cogor.* Intelligebat nimirum, noua iſta cœmeteria nihil ab aliis agris campiſque differre: Et perinde eſſe, ſiue quis in Lutherano cœmeterio, ſiue extra illud in alio agro vel prato ſepeliretur.

Poſtea tamen, vbi fanaticus feruor nonnihil elanguit ac deferbuit, ad cœmeteria, etiam intra vrbes, Catholico ritu conſecrata, redierunt; neque vſque adeo multis in locis communionem cum Catholicis auerſantur, vt mortui cum illis in eodem loco cubare nolint. imò alicubi ſimpliciter ferre nolunt, vt excludantur. At Catholicis optandum eſt, vt

Digitized by Google

abjistis hospitibus liberentur; & cœmeteria sua pura, & ab his labibus intacta seruent. Vtinam Nouatores, quandiu ad orthodoxam religionem reuerti nolunt, suo in Enthusiasmo condendi noua cœmeteria, & vetera fugiendi, perstitissent. Catholicos certè ingenti molestia liberassent; & locis religiosis sua integritas incolumis constitisset.

Magnificè quidem Brentius Homilia 69. in Lucam & alij Prædicantes passim, sepulturæ & cœmeteriorum sanctitudinem deprædicant; Ex quorum grege Brentius: *Non comitamur, nec honestè sepelimus defunctum asinum aut bouem, quia non resurget, sed id honoris homini proximo impendendum est, vt ipsa re significemus, aliam esse nostram conditionem, quam bestiarum. Quare corpora nostra tanquã sacra reliquia, terra mandanda sunt, & locus sepultura non aliter habendus est, quam sacrum, quod dicitur, κοιμητήριον, hoc est, dormitorium, in quo corpora piorum requiescunt, non omnino mortua, sed potius dormientia, & exspectantia diem illum, in quo gloriosa in cælum ascendent, & cum Christo magnificè regnabunt.* Hæc Brentius, & his similia alij Prædicantes. Quibus tamen Lutherani non multum mouentur; testatur enim *Simon Pauli* Prædicans Lutheranus, Homilia in Euangelium de adolescente ex Naim, esse Lutheranos, quibus perinde sit, siue sepeliantur in cœmeterio, siue auff der Schindergrub/*in loco, vbi excoriantur iumentorum cadauera.*



CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XI.

Quos sacri Canones ab Ecclesiastica sepultura excludant. Quis mos Nouatoribus.



ONSECRANTVR apud Catholicos cœmeteria, siue Ecclesiis adiuncta, siue ab illis disiuncta, & quidem peculiaribus cæremoniis, quarum forma in Ritualibus libris exstat. Eam ob caussam cœmeteria Catholicis in honore sunt ac reuerentia, & non tantum propter sementem, vt ita loquar, illic sparsam, hoc est, propter orthodoxorum corpora ibi requiescentia, & communem Resurrectionem placidè exspectantia; Quanquam & iste iustus titulus est, cœmeteria in honore habendi; & ab omnibus actionibus profanis, licet peccato careant, liberandi & eximendi, *Cœmeteria in quibus sepulti sunt Christiani*, inquit ex Isidoro Lucas Tudensis, *in reuerentia à fidelibus sunt habenda, ita vt quoties per ea transeunt, pro illis orare, & sua debent nouissima cum gemitu cordis ad memoriam reuocare. Quamuis enim non manifestentur miraculis, multa tamen Dei amicorum corpora quiescunt in illis; quia non omnes sancti miracula nobis visibilia operantur. Malleus Hæreticorum fortissimus Augustinus, per cœmeteria incedere & pro illis non orare, quasi sacrilegium asseuerat. Quid igitur illis erit, qui in Christianorum cœmeteriis, blasphemias, furta, fornicationes, adulteria, stupra, vel quæque vana committunt, cum pro fidelibus in sacris cœmeteriis non orare, quasi sacrilegium iudicetur.* *Tudens. lib. 1. contra Albigens. cap. vlt.*

Quo fit, vt Catholici non quosuis sua ad Cœmeteria admittant; Inde enim excluduntur omnes infide-

les, Iudæi, Ethnici, Hæretici. Et de hæreticis quidem exstat hæc sanctio in sexto Decretalium lib. 5. tit. *de Hæreticis*, cap. 2. *Quicunque hæreticos, credentes, receptatores, defensores vel fautores eorum, scienter præsumpserint Ecclesiastica tradere sepulturæ; vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere: nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent. & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetua careat sepultura.*

II. Manifestè vsurarij. cap. Quia, ext. De vsuris, cap. Quanquam, in 6. eod. tit. & hoc, nisi pœnitentiam egerint. III. Omnes illi, quos liquet in sceleribus suis absque male commissorum detestatione animam efflasse. IV. Mortuus in *Torneamentis*, cap. 1. ext. de *Torneamentis*. V. Homicida suiipsius. VI. Excommunicatus excommunicatione maiore. VII. Qui in Paschate Eucharistiam non accepit. VIII. Nominatim interdictus. IX. Monachus proprietarius. X. Infans non baptizatus, licet ex Christianis parentibus progenitus; & alij nonnulli, de quibus Syluester V. sepultura q. 9. & 10. Quorum cadauera si internosci queant, exhumanda, & in profanum locum abiicienda sunt, ex decreto sacrorum Canonum: Et hoc propter reuerentiam, quæ cœmeteriis, aliisque sacris locis debetur.

Quid verò sectarij? Num quem cœmeteriis suis honorem habent? Exiguum sanè: *Agenda* Brunsuuicensis cœmeteria sepire iubet, ne pecoribus pateat aditus. Non prorsus inhumanè; neç irreligiosè. Minus tamen reuerentiæ habet, quòd infantes non baptizatos in commune cum cæteris contubernium recipit: *idque ex laudabili*, vt inquit, *Ecclesiarum Reformatarum consuetudine*. Quomodo hæc consuetudo vocatur laudabilis,

bilis, cum laudabili maiorum consuetudini aduersetur, qui infantes istos sedibus sepulchralibus semper à mortuis baptizatis discreuerunt; par non esse arbitrati, vt cubilibus hîc iungerent, quos in altero sæculo diuersa habitacula excipiunt, & excipient, nunc quidem quoad animas; postea itidem, quoad corpora. At dicunt; se id facere ob parentum consolationem. Quæ verò hæc consolatio, nisi vana & vmbratilis? Rectius dicerent Nouatores, se id facere, quod credant huiusmodi infantibus baptismi priuationem ad salutem adipiscendum non officere: Huc enim LVTHERANI Prædicantes tacitè collineant, cum Caluinistis hac in impietate satis apertè colludentes.

Nec honori cœmeteriorum competit illud, quod eadem Agenda concedit; nimirum, *vt adulteri, scortatores, fures, vsurarij, & similes, qui ab omni vsu Sacramentorum abstinuerunt, & ad pastoris sui vocem vitam in melius non commutarunt, in flagitiis & sceleribus suis mortui ac sepulti sepeliantur cum aliis Lutheranis in communi cœmeterio, sed tamen sine processione, sine cantu, aliisque Lutheranis caremoniis.* Nec Agenda cogit *Ludimoderatores & Prædicantes, vt funeri intersint*; quamuis eo ipso eis liberam facit potestatem, vt intersint, si interesse velint. Qua concessione non inuiti vtentur, si aliqua spes prædæ affulgeat. At mirum sanè est, Lutheranos, illis suo in cœmeterio locum dare, quos ob impœnitentiam, & in sceleribus non tantum vsque, sed & supra extremum halitum obstinatione vitam finiisse norunt, & tantum ea pœna mulctare, vt funebri processione & cantilenis lugubribus careant; quas scilicet isti vitâ cassi tanti pendunt; quanti, dum vitalibus

auris vefcerentur. An fortè hoc fuo facto indicare volunt,omnes Lutheranos, qualefcunque fint, in altera vita ad eandem ftationem pertinere, & propterea hîc itidem fepulchri fedibus difcriminari non debere? Certè, vbi verum cœmeterium eft; vbi fpes futuræ ad gloriam refurrectionis, ibi opera datur, ne quid Zizaniorum in illum Dei agrum de induftria fpargatur, quod igni æterno, non cœlefti horreo deftinatum fit; Et quis tam fatuus fit,qui fciens ac volens, in agrum fuum Zizania feminare velit,quandoquidem vltrò, nullaque hominum induftria accedente, nafcuntur, nec fatione opus habent. Quidam tamen ardentiores Lutherani, Caluinianis faltem loliis, lappis, ac filicibus fuis in Agris locum dare abnuunt. Audi rem prorfus miram,& quę Lutheranos,placare queat,certè debeat; quando infaniunt, fi quando vel fuæ vel Caluinianæ fectæ fectatores à Catholicis fepulturis excludi videant. Iterum dico,audi rem miram ab Hofpiniano Caluinifta in altera parte Hiftoriæ Sacramentariæ ad Annum Redemptoris M.D.XCIV. proditam.

Obiit menfe Nouembri Drefdæ Iacobus Loßius, Italus, Placentinus,qui viginti circiter annos continuos fub Augufto & Chriftiano eius filio, Ducibus Saxoniæ, aulicum egerat Muficum & fidicinem. Erat is, dum viueret, Caluini addi- fententiæ,& tam in vita, quam in hora mortis à Luthe- . .rum facris fefe abftinuit. Quare mortuum neq; in Polyandrio, neq; vfitatis cum ceremoniis fepelire Drefdenfes voluerunt. Inftitit focer magiftratui feu Ecclefiafticis fupplex, vt locus illi in fepulchreto concederetur,vtq; honeftè,& Chriftianorum more conderetur. Cæterum, nihil aliud impetrauit,quam in cœmeterio S. Bartholomæi, vbi malefici, feu homines flagitiofi,poft publicè datam pœnam,fepeliri folent, & hunc

hunc Loßium licere tumulari. Amici itaq; & affines quatuor mercenarios conduxerunt, qui eum loco dicto sepelirent. Duodecimo itaq; Nouemb. hora quinta pomeridiana, paulò antequam portæ Vrbis clauderentur, funus absque vllo cantu, aut æramentorum sonitu cum summo silentio efferunt. Cum autem extra portam ventum esset, occurrunt aliquot lanionum & fabrorum ministri, aliiq; homines suburbani, fortè ad hoc destinati, qui lapides in vespillones certatim iacere cœperunt; nec destiterunt, priusquam illi, relicto funere, seu cadauere, sese in fugam coniicerent. Alii cum impetu accurrentes, sandapilam & capulum comminuerunt, ipsumq; cadauer immaniter tractarunt, & allectis canibus laniandum obiecerunt. Dum ita in hominem mortuum insaniunt, rustici quidam Strellenses, qui vicino in pago nuptias celebrarant, fortè fortuna istac iter faciunt, domum ad suos reuersuri. Qui videntes hanc tragœdiam accurrunt, tympanumq; suum pulsantes nouæ pugnæ signum dederunt, animosq; & vires iam fessis addiderunt. Hîc iterum in cadauer insiliunt, lapidibus cooperiunt, iniecto pedibus laqueo ad præterfluentis Albis ripam protraxerunt, in fluuium præcipitare volentes. Id, ne fieret, quidam paulò cæteris humanior impediuit. Hoc modo, à quinta hora ad octauam in miserum hominem debacchati sunt, defessiq; tandem recesserunt. Quod, cum vespillones intellexissent, reuersi ad cadauer sanguine & cerebro aspersum, ac puluere cœnoq; fœdatum, vna cum capulo corraserunt, atq; in Polyandrio S. Bartholomæi sepelierunt.

Hæc Caluinista Hospinianus de Lutheranorum in Caluiniana cadauera humanitate; qui etiam in Libro de Libro Concordiæ cap. 41. Lutheranum præfectum loci, vbi Peucerus, non ignotus Caluinista, in carcere detinebatur, his verbis Peucerum ęgrotantem solatum scribit: *Morieris, quandocunq; voles: sed hoc certò scias, quòd*

non admissurus sim ad te quemque, nec consolationis, nec medicationis caussa. Nec sepultura te sollicitet, de qua mandata habeo, vt sepeliā te sepultura asini inter cadauera excoriatorum pecorum. Hanc tamen de sepultura asini comminationem, dissimularunt Dresdenses Consistoriales, à quibus cum Augustus Elector, Dux Saxonię, quęsiisset, quid cum Peuceri corpore agendum esset, si in carcere moreretur; Responderunt, *non quidem iniustum fore, si aliis absterrendis, in hoc pracipuo Caluinistarum Antesignano, & tot malorum fabro, exemplum statueretur; sed quia forsan hoc Papistis ansam praberet, vt similia in Lutheranos & Caluinianos decernerent, consultius fore, vt sepulturâ asini tantummodo perterreficeret, ac in terrore illo relinqueretur, defunctus tamen cum cateris Christianis tumularetur.* Quod futurum fuisse, si in vinculis Peucerus, spiritum exhalasset, vix crediderim: nam Lutherani Prædicantes nimio odio in illum accensi erant.

Iure insuper quærat quis ex Nouatoribus, quo situ mortuos suos tumulis imponant. Num pronos, an supinos, cælumque respectantes? Et quam partem cæli; num orientem, an occidentem, an septentrionem, an meridiem? Et num mortuum mittant super mortuum, quod in Concilio Matisconensi olim prohibitum. Nam vetus mos Christianis fuit, mortuos, versa ad orientem facie, in sepulchrum inferre, cuius meminit quoque Lutherus in Latinis Colloquiis Tom. 1. tit. de morte.



CAPVT

CAPVT XII.

Refelluntur nugamenta Caluiniana de Ossariis, seu Ossuariis.



CALVINISTÆ admodum limis oculis intuentur *Ossaria*, siue illa sacella, seu ædiculas (Germanis Beinhäußle) *in quibus effossa ossa asseruantur, & omnium oculis ad spectaculum proponuntur; vt ea videntes cogitemus nos mortales & caducos esse, nobisq; à superbia, auaritia, libidinibus, alijsq; sceleribus caueamus.*

Lauatherus Zvvinglianus in Libello *de ritibus Ecclesiæ Tigurinæ, Ossa mortuorum non coaceruantur, sed defodiuntur in terram, vt secundum Domini verbum in puluerem redeant.* Scilicet in puluerem redire nequeunt, nisi sub terra; vt taceam, non dixisse Deum, Genes. 2. *Puluis es, & omnia tua ossa in puluerem reuertentur*: sed, *puluis es, & in puluerem reuerteris*; quo, Adamo & posteris, nihil aliud absolutè denunciauit, quam ineuitabilem moriendi necessitatem, & satis homo in puluerem redit, cum partes eius, saltem aliquę in puluerem vertuntur. Et si adeo necesse est, ossa fieri puluerem ac cinerem, cur Caluiniani mortuos suos eorumue ossa non comburunt? Sic enim longe citius & expeditius satisfacerent illi. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Verum contra id, quod diximus, de mortis memoria conspectu Ossium exsanguium excitari solita, oggerit Hospinianus Caluinista in suo Centone de templis. Hoc quidem habere aliquam *probabilitatis speciem; sed cogitandum, quæ mala inde sequantur.* Quæ verò ista mala? *Superstitiones.* At quæ illæ? Preces nimirum & Missæ pro defunctis dici solitæ, ad quas ipse talium

ossium

ossium aspectus exstimulat. At vt hæc pietatis exercitamenta Caluinistæ huic sint superstitiosa; sancto tamen Augustino adeo fuerunt religiosa, vt palam scripserit serm.34.de verbis Apostoli, à viuis diligenter ea procurari debere, *quæ defunctorum spiritus iuuent*; quo in genere ponit *oblationes*, hoc est, Missas, *orationes*, *erogationes*, seu Eleemosynas. Qui non solius Augustini sensus fuit; sed & S. Paulini, qui vt est in exordio libri de cura pro mortuis agenda, scripserat ad S. Augustinum, *vacare*, hoc est, inutile ac otiosum esse *non posse, quod vniuersa pro defunctis Ecclesia supplicare consueuit. In Macchabæorum libris*, inquit S. Augustinus, *legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed & si nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua est Ecclesiæ Catholicæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.*

Illi autem qui hæc negant, & dicunt, inquit Lucas Tudensis lib. 1. contra Albigenses cap. vlt. *Solennizationes* (preces & oblationes) *Ecclesiæ viuis vel defunctis fidelibus non prodesse, audiant quid contra eos splendor Ecclesiæ Isidorus dicit*: Quæcunque ex deuotione fiunt ab Ecclesia, vt modulatio, cantus psalmorum & laudum, aquæ benedictio, aspersio, odoramenta thuris & thymiamatis, vel etiam pulsatio campanarum, illis, pro quibus fiunt, viuis fidelibus siue mortuis conferunt, & in eis deuotè Deo ministrantes meritum sanctæ deuotionis adquirunt. Hæc Lucas Tudensis ex Isidoro. Vbi obserua campanæ pulsum Caluinistis tam inuisum; quem cum cæteris Albigenses quoque sustulerant, vt proinde antiquos illos Albigenses in Caluinistis rediuiuos agnoscere liceat.

Digitized by Google

Vt reuocemur à peccatis, inquit Caluinista, *verbum Dei est audiendum, inuisendi agroti, deducenda funera, sontium supplicia spectanda.* Et hæc facienda sunt, & non omittenda inspectio craniorum & ossium iam aridorum contemplatio; Quæ profectò interdum tam est efficax, vt etiam ferreum pectus emolliat, & ad saniora consilia capessenda inflammet. Eductus est olim Ezechiel. cap. 37. *in campum qui erat plenus ossibus; & circumductus est per ea in gyrum; erant autem multa valde super faciem campi; siccaq; vehementer.* Si Ezechiel Hospiniani spiritu caluisset, ductori suo haud obtemperasset; sed potius ad verbum Dei lectitandum, ad ægros interuisendos, ad funera ducenda, & ad maleficorum supplicia spectanda abduci postulasset: hæc enim verè à peccatis retrahere; hæc salubria cogitata pectoribus iniicere; Hæc animum de futura corporum Resurrectione erudire. Nihil horum Ezechiel; sed promptè morem gessit.

Ait Caluinista: *Suis in templis hebdomadatim nomina defunctorum publicari Ecclesia cum honorifica mentione, vt & nostræ sortis impendentis admoneamur, & ad preces excitemur.* Atqui, nisi fallor, inspectio ossium arentium, exsanguium, informium in ossariis haud paulo efficacius vtrumque horum præstat. *Sed & ipsa cœmeteria*, inquit, *& sepulchra eiusdem rei nos admonent.* Multò igitur magis ossaria, cum imbecillitatem humanam longè clarius repræsentent. Hic vel maximè locum habet, quòd ex oratione S. Chrysostomi de fide & lege citas. *Videntes sepulchra* (multò magis ossaria, & in iis caluarias) *cogitamus statim & inter nos disputamus, dicentes; Ecce quid tandem ex nobis fit? Et quo abimus? Confabulamur, egredimur de sepulchris, & humilitatis nostræ obliuiscimur. Apud*

ſepulchra, ita vnuſquiſque proximo loquitur: ô miſeram noſtram vitam. Quid tandem ex nobis fit? Et mox: *Ea propter Deus vbique ſepulchra fieri voluit, vt illis noſtra ipſorum infirmitatis memores fieremus. Ideo omnis ciuitas, omne caſtellum ante ingreſſum ſepulchra habet, vt contendens intrare ciuitatem, quæ imperat & floret diuitiis & potentatu aliiſq; dignitatibus, priuſquam videt, quod ſecum concipit, videat primùm, quod fit. Ante portas ſunt ſepulchra, ante agros ſunt ſepulchra. Vbique ante oculos noſtræ humilitatis ſchola; & docemur, in quid deſinamus tandem, docemur qualia futura ſint phantaſmata.*

Occinit Caluiniſta I. *Eſſe periculum, ne oſſa fidelium ab impiis ludibrio habeantur, ſi in Oſſariis aſſeruentur.* II. *Hoc non ſatis conſonare cum illo decreto Dei.* Puluis es & in puluerem reuerteris. III. *Cauendum ne artibus magicis fomenta præbeamus.* IV. *Cauendum, ne cum Chamo maledictionem incurramus, ſi oſſa maiorum noſtrorum retegamus.*

Reſpondeo, Hoſpinianum his ſuis obiectionibus, ſi quid efficit, etiam hoc efficere poſſe, vt nemo amplius in furcam aut rotam agatur; nam periculum eſt, ne ſuſpenſi aut in rotam acti oſſa, ludibrio habeantur; ne ad incantamenta & veneficia adhibeantur; & ne peccetur in illud: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Aut ſi hîc propter iuſtitiæ maius bonum, nulla horum habetur ratio, neque quidquam in legem de corpore in cineres redigendo committi cenſetur; cur tantum apud Caluiniſtas valent, vt idcirco omnia oſſaria ex omnibus cœmeteriis ſint exterminanda; & omnia Chriſtianorum oſſa denuo humo obruenda? An qui magicis delectatur, aliunde quàm ex Oſſariis, nefariæ

ſuæ

suæ artis instrumenta nancisci nequit? An ossa ab impiis ex ipsis tumulis extrahi & ludibrio haberi non possunt? An non diuinæ sententiæ iam abundè satisfactum est, postquam tota corporis compago soluta, caro, nerui & id genus alia in cineres conuersa sunt, ita vt, præter ossa, nihil supersit; quæ & ipsa tamen diuturnitate temporis, etiam extra humum consumuntur & exeduntur, si enim longinqua vetustas ferrum & æs deuorat, quanto magis ossa? Neque hic est vlla *Chamica* irreuerentia, inque maiores impietas; quia ossa iam emortua, sicca & penitus omni carne ac schemate alio, præter ossis formam, deglupta inspicere, nec est vlla irreuerentia, nec impietas. Et quam reuerens & pius derepente euasit Hospinianus, omnium ossium mortualium intuitum tam religiosè declinans, cum antecessores eius Zvvingliani & Caluiniani, tot sanctorum corpora, & corporum partes, non modò denudarint, & ex tumulis loculisque, in quibus quiescebant, sacrilegè extraxerint; sed etiam in flammas, flumina, & longè adhuc fædiora loca abiecerint.



CAPVT XIII.

De iis, quæ acta sunt, postquam ad sepulturam ventum.

SANCTVS Dionysius Areopagita cap. 7. Ecclesiast. Hierarchiæ mortuum ad Pontificem deferri scribit: hoc est, ad Episcopum, in loco sepulturæ versantem: *Sumētes ipsum,* inquit, *ad Pontificem ducunt, quasi coronā donandum sacris: hunc ille libenter suscipit, eaq; peragit, quæ diuino instituto, super sanctè quiescentibus fiunt.*

Quæ autem sint illa, sequentibus verbis declarat Areopagita, *Coacto sancto cœtu*, id est, congregatis fidelibus, *venerandus Antistes (si quidem sacerdotalis ordinis fuerat, qui obdormiuit) ante sanctum altare inclinans eum, orationem ad Deum inchoat, & gratiarum actionem. Si autem aut honestissimis Monachis, aut sanctæ plebi insertus erat, ad venerandum sacrarium,* παρὰ τὸ ἅγιον ἱερατεῖον πρὸ τῆς ἱερατικῆς εἰσελεύσεως πυλῶν κατακλίνει, *ante introitū, per quem sacerdotes intrant, ipsum reclinat.* εἶτα τελεῖ τὴν πρὸς θεὸν εὐχαριστήριον εὐχὴν ὁ ἱεράρχης. *Deinde precem gratiarum actricem peragit præsul. Postea verò ministri, diuinis inserta eloquiis, verissima de nostra resurrectione promissa recitantes, consentanea, tantundemque valentia canunt psalmorum cantica.*

Vides hic in loco sepulturæ pro defuncto preces cōceptas, psalmos decantatos, & lectionem ex sacris litteris de futura corporum Resurrectione institutam fuisse. De precibus testis etiam S. Gregorius Nyssenus in funere Macrinæ Virginis. *Vbi intra fores templi constitimus, demum, deposito feretro, nos ad precationem conuertimus.*

mus. Inter has preces præcipuum locum tenebat sacrosanctum Missæ sacrificium. S. Augustinus lib. 9. Confess. de funere matris suæ Monicæ. *Cum ecce corpus elatum est. Imus & redimus sine lachrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificiũ pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri mos est, nec in eis precibus ego fleui; sed toto die grauiter in occulto mœstus eram,* &c.

Eundem morem proculdubio his itidem verbis designat S. Dionysius. *Postea accedens venerabilis Præsul precem super eo sacratissimam peragit.* εὐχὴν ἱερωτάτην ἐπ' αὐτοῦ τελεῖται. Quæ est hæc *sacratissima oratio, nisi Missa?* Præsertim cum, vt ibidem dicitur, Catechumeni prius amandarentur, quam hæc precatio inchoaretur. Non solebant autem ablegari, nisi cum iam finitâ Catechumenorum Missa, ea auspicanda esset, cui fideles soli interesse poterant.

In funere Constantini Magni apud Euseb. lib. 4. vitæ Constantin. *Aderant Dei sacerdotes, circumfusi turbâ ac vniuerso pietatis studioso populo, à quibus diuinus per preces cultus adhibitus est. Iam populus frequens vna cum sacerdotibus preces pro anima Imperatoris Deo fundebant.*

Sed en alium ritum. καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν αὐτὸς ὁ ἱεράρχης ἀσπάζεται τὸν κεκοιμημένον, καὶ μετ' αὐτὸν οἱ παρόντες ἅπαντες. *Finita prece,* hoc est, Missa, *osculatur Episcopus mortuum; & post illum, omnes præsentes.* Quid amplius? ἀσπασαμένων δὲ πάντων ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, καὶ τὴν ὑπὲρ πάντων εὐχὴν ἱερὰν ποιησάμενος, ἀποτίθησιν ἐν οἴκῳ τιμίῳ τὸ σῶμα μεθ' ἑτέρων ὁμοταγῶν ἱερῶν σωμάτων. *Postquam omnes mortuum osculati sunt, infundit Pontifex mortuo oleum. Et oratione pro omnibus fusa, venerando in loco ponit corpus, cum*

eiusdem ordinis aliis corporibus sanctis. En aliam vncturam proximè antequam corpus in sepulchrum inferretur.

Nec omittendus mos, quem S. Dionysius his verbis indicat. *Deinde ministrorum primus dimittit Catechumenos, sanctosq; iam defunctos concelebrat, μεθ' ὧν ἀξιοῖ τὸν ἄρτι τελειωθέντα τῆς ὁμοταγοῦς ἀναῤῥήσεως. Cum quibus & modò vita defunctum pari laudatione prosequitur, hortaturq; omnes, vt sibiipsis identidem postulent beatum in Christo excessum.* Hic manifestè specimen concionum & laudationum funebrium vides. Qui mos sanctis patribus admodum vsitatus fuit: pro testimonio sunt orationes funebres S. Gregorij Nysseni in Placillam Imperatricem, Pulcheriam & Meletium. S. Gregorij Nazianzeni in S. Basilium, in Cæsarium Fratrem, & in Gorgoniam sororem. S. Ambrosij in Satyrum fratrem, in Theodosium Imp. & in Valentinianum Imp. vt alios silentio transmittam; tametsi omnes istas funebres orationes habitas esse eo die, quo, qui laudantur, terræ mandati sunt, & ad ipsum sepulturæ locum, nemo affirmauerit. Sufficit nobis hoc concionum funebrium institutum sanctis Patribus fuisse vsurpatum. Lutherani Prædicantes sedulò id retinent; quia facit nonnihil ad culinam, præsertim vbi opulentiores excedunt. Quod plaustra funestarum huius generis concionum in vulgus prodierunt? Vix sartor vel sartrix, vix sutor vel sutrix vita fungitur, & en à Prædicante luculentum encomium, si spes etiam mercedis luculentæ affulgeat, licet interdum, potissimùm, vbi quid simultatis interuenit, ita mortui à Prædicantibus laudentur, vt viuentium iudicio, laus à vituperatione perparum differat. Qua de caussa factum est, vt nonnullis in locis Prędicantes magistratui conciones funebres prius exhibere debeant,

quam

quam publicè ad populum recitentur; ne alicui maculam non facilè delebilem aspergant.

Caluiniſtis haud ſatis arridet mos funebrium concionum. Quocirca Caluinus Epiſt. 51. ita ad Mompelgartenſes ſcribit. *In ſepultura mortuorum hanc moderationem vellem adhiberi, ne in templum funus deferretur. Illic quoque exhortationem haberi vellem, vt in re præſenti funeris comites agnoſcerent, quod diceretur. Hæc ratio non admodum improbanda foret.* At quæ ratio non admodum improbanda Caluino viſa fuit, eadem aliis Caluiniſtis penitus improbatur; Nam in Synedrio Dordraceno hanc legem tulerunt Caluiniani Popi Anno M. D. LXXIV. *Funebres conciones introducta, commodè & vtiliter è medio tollentur: Vbi non ſunt introducta, omittentur, ad euitanda pericula ſuperſtitionum, quæ inde emanant.* Rectius dixiſſent; ad euitanda pericula lœdoriarum & contumeliarum, quas iſti ex ambone ſuo in mortuum iaculantur, ſi quem oderint. Similia ferè ſtatuit alia Pſeudoſynodus Caluiniana apud Schultingium lib. 9. Anacriſeos Hierarchiæ, niſi quod vbi receptæ ſunt, *hac cautela eas tolerari poſſe* cenſent, *vt habeant magis formam extemporanea, nec ſatis præmeditatæ admonitionis, quam concionis. Quæ*, vt aiunt, *oratione incipietur, & gratiarum actione finietur: in iiſdem nihil dicetur de laudibus defunctorum.* Cur, quæſo? An metuunt, ne miniſtri dentes ſtringant, ſannaſque exerant, & pro laudibus probra promant?

Caluiniana *Agenda* Heidelbergenſis concedit, vt habeatur Exhortatio, ſed ita, vt mortuus non laudetur nimium propter periculum abuſus. Ibidem præſcribit *Agenda* Prædicantibus thema exhortationis, inſtituendæ & eo dirigendę, vt auditores ſenſum quendã mortis conci-

concipiant. Tiguri non habetur concio. Oratur, sed non pro mortuo, teste Lauathero in libello de Ritibus Ecclesiæ Tigurinæ.

Illud mihi semper admodum Euangelicum & Apostolicum visum, quod in laudationibus funebribus, quæ Prædicantium operâ & charitate, Lutheranis Prædicantibus panguntur, longissimus semper liberorum catalogus texitur. In Georgij Mülleri olim Augustani, postea Prædicantis Witebergici, quindecim, si ritè recordor, liberi numerantur. In oratione funebri Hunnij, octo partim Hunnij, partim Hunniæ. Polycarpus Leiser Anno M. D C. X. mortuus, decem liberos post se reliquit. Hoc ne ignoraremus, vtpote scitu dignissimum, funestus eius Encomiastes, expressis singulorum nominibus, nobis indicauit. Quapropter difficile est defunctum Prædicantem inueniri, cui vel orbitas vel infæcunditas iure obiici queat: Et cuius funus vidua cum numerosa sobole, quasi Gallina cum numeroso pullorum cœtu, non cohonestet, lamentabiles threnos funditans, & se suumque gregem domesticis fidei suæ commendans. Quod non segnius agit laudibus demortui canendis conductus Prædicans, vt videre est in declamatione funebri qua Gesnerus parentauit Hunnio, vbi Hunnianæ Neæræ caussam strenuè agit; Et hoc insuper aptè fatetur, cum nullis viduis inclementius & inhumanius agi quam cum viduis Prædicanticis. Sed nos his omissis ad alia transeamus.

Aliquando Eucharistia cum mortuis sepulta est: Exstat memorabile exemplum lib. 2. Dialogorum S. Gregorij cap. 24. de puero Monacho, qui sine licentia & benedictione ex Monasterio discesserat, quemque mox defunctum terra semel atque iterum eiecerat: cuius

ius parentibus hanc ob rem mirè turbatis, *S. Benedictus manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: ite, atq; hoc Dominicum corpus super pectus eius, cum magna reuerentia, ponite: Et sic sepulturæ eum tradite, quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit.*

Amphilochius in vita S. Basilij Tom. 1. Surij. dicit, S. Basilium quadam vice Eucharistiam in tres partes diuisisse, *vnamq; sumpsisse, alteram reseruasse, vt secum sepeliretur; tertiam verò in columba aurea supra aram pendente, reposuisse.*

Videtur etiam mortuis interdum Eucharistia data. Nam hoc prohibetur in Concilio Carthaginensi III. cap. 6. *Placuit, vt corporibus defunctorum Eucharistia non detur; Dictum est enim à Domino: Accipite & edite. Cadauera autem nec accipere possunt nec edere.* Meritò hic mos, vt & prior ille, posteris temporibus, abrogatus est.

Aliquando mortuis Cruces vel appensæ sunt, vel manibus insertæ. Exemplum ex Prato Sophronij inuenies Tom. 1. Operis de S. Cruce lib. 2. cap. 15. in fine. Et hoc factum est, vt testarentur beneficia per lignum sanctæ Crucis accepta; quæ S. Chrysostomus Homiliâ 16. in Genesin pulchrè ostendit, comparans inter se lignum seu arborem scientiæ boni ac mali; & lignum Crucis; *nam lignum illud mortem introduxit: Sed istud immortalitatem dedit. Illud è paradiso eiecit; istud, in cælos nos reduxit: illud, propter vnam transgressionem tanti supplicij reum Adamum effecit; istud nos plurimis peccatorum sarcinis exonerauit, fiduciamq; ad Dominum nobis concessit,* &c. *Armemus itaq; nos ipsos, obsecro, charissimi, armis ligni huius viuifici, ipsiusq; potentia perniciosos animi affectus mortificemus.*

In Euchologio Græcorum, vbi ritus ſepeliendi traditur, τίθεται τὸ λείψανον ἐν τῷ μνήματι. *Cadauer in ſepulchro ponitur.* ὁ δὲ ἱερεὺς ἄρας γῆν μετὰ τοῦ πτύου σταυροειδῶς ἐπιῤῥίπτει ἐπάνω τοῦ λειψάνου, λέγων, τοῦ κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. &c. *Sacerdos palâ terram in formam crucis inicit in cadauer, dicens: Domini eſt terra, & plenitudo eius.* καὶ μετὰ τοῦτο ἐπιχέει ἐπὶ τῷ λειψάνῳ κανδήλαν ἢ τὴν τέφραν τοῦ θυμιατηρίου. *Deinde cadaueri infundit liquorem candelæ ſeu lampadis* (nam candela Græcis non eſt tantum id, quod nobis; ſed & ipſum vas, in cuius liquore aliquid ardet, vt ergo lampas dicitur effundi, quando id, quod eſt in lampade effunditur, ſic & candela) *vel cinerem thuribuli.*

Idem traditur, quo loco modus ſepeliendi ſacerdotem præſcribitur, vbi effuſioni candelæ ſacerdos hoc Troparium accinit. τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ σου φιλάνθρωπε ὁ θάνατος νενέκρωται, καὶ ὁ ᾅδης ἐσκύλευται, καὶ οἱ πάλαι θανόντες, ἀναστάντες ὕμνον σοι προσέφερον, διὸ βοῶμέν σοι χριστὲ ὁ θεός. τὸν μεταστάντα ἐξ ἡμῶν ἀνάπαυσον. *Figurâ Crucis tuæ, benigniſſime, mors interfecta eſt, & infernus ſpoliatus; & qui olim mortui fuerant, reſurgentes hymnum tibi concinebant. Quapropter clamamus ad te, ô Chriſte Deus, ei, qui hinc à nobis exceſſit, requiem concede.*

Quod autem ad ſitum corporis in ſepulchro attinet, is pro varia ſepeliendi ratione; varius fuit; nam interdum iacentes, interdum ſtantes, aliquando ſedentes ſepulti ſunt; iacentes, cum terra obruuntur, ſtantes vel ſedentes; quando ſub fornicibus tumulati ſunt; tametſi & hîc poſituræ, quæ in iacendo conſiſtit, ſuus ſit locus. Interdum vrnæ ſeu ſarcophago includebantur; quod etiam hoc æuo obtinet. Interdum ſine huiuſmodi theca in ſepulchrum inferebantur. Illud pium & religio-

ligiosum est; etsi non necessarium; vt cum corpus terra regitur & obruitur, id fiat facie sursum versa; vt ipse situs indicet, vbi sit verum animæ & corporis habitaculum. Habeat & hic locum illud Poëtæ.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram:
Os homini sublime dedit, cælumq; tueri.

Vrnis autem & Sarcophagis inscripta aliquando fuere defunctorum nomina; additæ item sanctorum imagines, vt perspicuo exemplo Sarcophagi, in quo nobilitate & religione clarissimi coniuges Probus & Proba Falconia conditi fuerunt, docet Baronius ad Annum Domini CCCXCV. Sunt & sepulchris cruces impositæ. Cuius moris exempla protuli Tom. 1. de sancta Cruce lib. 1. cap. 15.

Inter Kennethi Regis Scotorum leges apud Hectorem Boëthium lib. 10. Historiæ Scoticæ, etiam ista exstat. *Sepulchrum omne sacrum habeto; idq; Crucis signo adornato; quod ne pede aliquando conculces, caueto.*

Claudat hunc librum S. Gregorij Nysseni in parentes suos reuerentia: qui cum Macrinam sororem in sepulchro parentum sepeliret, corpora parentum linteo obtegi voluit, prout ipse his verbis exponit in vita S. Macrinæ. *Me timor quidam inuasit, considerantem præceptum illud, quo prohibemur patris aut matris turpitudinem aperire. Et quomodo, inquam, hoc ego iudicium effugiam, si in parentum corporibus videro communem humanæ naturæ turpitudinem, cum verisimile sit, ea collapsa dissolutaq;, ad turpem & inconditam peruenisse deformitatem? Hac autem mihi cogitanti, formidinem auxit indignatio Noë: cuius historia me, quid facto esset opus, admonuit. Priusquā igitur corpora nostris oculis essent exposita, pura sindone operta sunt.* Gen. 9.

Nam, cum operculum esset sublatum, ex vtraq; parte summa, linteum iniectum est: quo linteo contectis parentum corporibus, ego & regionis Episcopus ille, cuius mentionem feci, sacrum illud corpus è feretro tollentes, iuxta matrem apposuimus, atq; ita votum vtriusq; compleuimus. Vno enim consensu semper orauerant Deum, vt corporibus post mortem copularentur, vt quæ inter ipsas fuerat in vita coniunctio, ne in ipsa quidem morte dissolueretur.

Finis libri secundi.



DE

Digitized by Google



DE FVNERE CHRISTIANO.

LIBER III.

CAPVT PRIMVM.

Pro defunctis & iam sepultis preces susceptæ; sacrificium Missæ immolatum, & eleemosynæ egenis distributæ; de die tertio, septimo, tricesimo, &c.

HAs inferias Christianis iam defunctis, & ad sepulchrum elatis, datas & persolutas esse, vidimus libro secundo. Nec tamen post sepulturam ab ope mortuis ferenda cessatum est: Nam eorum ad altare Domini commemoratio fiebat. Et hoc beneficium petiit S. Monica iamiam hinc migratura à S. Augustino, filio suo, & ab aliis circumstantibus, eiusque nomine idem ab vniuersis sacerdotibus postulauit S. Augustinus lib. 9. Confess.

Exstat huius rei illustre exemplum apud S. Cyprianum Epist. 66. vbi dicit; statutum ab Episcopis antecessoribus, *ne quis frater excedens* (moriens) *ad tutelam vel*

Digitized by Google

curam clericum nominaret. At si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo; nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neq. enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, inquit S. Cyprianus, *qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare.* Quid hoc Cypriani testimonio luculentius? Et tamen caligo hæretica nebulas affundere tentat.

Subiungit S. Cyprianus. *Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur,* &c.

Apud S. Augustinum lib. 9. Confessionum legitur prolixa oratio, quam ipse pro salute matris suæ Monicæ fudit; Alia item exstat lib. 8. Constitut. Apostolicarum quæ publicè in Ecclesia pro defunctis recitari consueuerat.

Precibus & sacrificio plerumque iungunt sancti Patres eleemosynas, tanquam efficacissimum mortuis subueniendi remedium. S. Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda non procul à fine. *Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus peruenire, nisi quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus; quamuis non pro quibus fiunt omnibus prosint;* (quia non prosunt illis, qui in inferno, vbi nulla redemptio, nec iis, qui in cælo, quia his subsidiis ad salutem non egent, quippe salutem iam adepti) *sed iis tantũ, quibus dum viuunt, comparatur, vt prosint:* (hoc est iis, qui gratia quidem diuina prædiri, sed tamen leuioribus peccatorũ maculis obstricti, hinc emigrant.) *Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc*

bene-

beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim superer-erunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quã eis deerunt, quibus prosunt. Diligentius tamen facit hac quisq; pro necessariis suis, quod pro illo fiat similiter à suis.

Origines lib.3. in Iob. *Nos non natiuitatis diem celebramus, cum sit dolorum atq; tentationum introitus: sed mortis diem celebramus, vtpote omnium dolorum depositionem, atq; omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea & memorias sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Sic itaque non diem natiuitatis celebramus, quia in perpetuo viuent ij, qui moriuntur. Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus conuocantes, fideles vna cum Clero, inuitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suauitatis in conspectu aterni* DEI.

Licet autem Christiani defunctis semper opem ac solatium adferre studerent, id tamen præcipuè agebant Græci quidem tertio, nono, & quadragesimo die ab obitu: itemque anno reuoluto. Ex quorum consuetudine Clemens lib.8. Constitut. Apostolicarum cap.42. *Exequia mortuorum fiant tertio die adhibitis Psalmis, precibus & lectionibus, propter eum qui tertio die à mortuis suscitatus est; die nono ad recordationem eorum, qui sunt superstites, & eorum qui defuncti sunt: quadragesimo fiant secundum veterem typum. Moysen enim sic populus fleuit. Item, anno exacto, ad habendam memoriam ipsius defuncti, & suppeditetur ex bonis eius pauperibus ad recordationem eiusdem.*

Dama-

Damascenus, seu quis alius, orat. de defunctis. *Hoc misericors ille vult, gratumque habet, vt nos omnes, tum in vita, tum post confectum vitæ curriculum, mutuò alij ab aliis iuuemur. Neque enim alioqui ansam nobis porrexisset, vt eorum, qui è vita migrassent, in incruento sacrificio meminissemus, vt tertio & nono & quadragesimo die, ac denique anno vertente in eorum memoriam sacra obiremus, (quæ quidem citra vllam controuersiam Catholica & Apostolica Ecclesia, diuinitusque collectus ipsius populus, constanter ac sine vlla ambiguitate retinet) nisi hoc in ipsius oculis rectum esset.*

In Turcogræcia Lutherani Crusij ex libro quodam *Dioptra* hæc referuntur, satis vt verum fatear, inepta. τοῖς τεθνεῶσιν ἐπιτελεῖται τρίτα, καὶ ἔννατα, καὶ σαρακοστά. τρίτα μὲν, ὅτι ὁ τεθνεὼς τῇ γ΄. ἡμέρᾳ ἀλλοιοῦται, διάγνωσιν τῆς ὄψεως ἀπολλύς. ἔννατα δὲ, ὅτι τῇ θ. διαῤῥύει τὸ σῶμα εἰς σύμπαν, τῆς καρδίας σωζομένης. σαρακοστὰ δὲ, ὅτι τῇ μ. καὶ αὐτὴ συναπόλλυται τῷ παντί. *Mortuis persoluuntur tertia & nona & quadragesima. Tertia, quod mortuus die tertio immutatur, agnitione faciei amissa. Nona, quod nono die totum corpus diffluit, præter cor. Quadragesima, quòd quadragesimo ipsum quoque cor perit.*

Nugæ. Etsi satis canoræ. Grauius est, quod in eodem libro legitur. μνεῖαι τῶν ὁσίως κεκοιμημένων tres. 1. τρίτα, *quòd Christus tertio die resurrexit.* 2. ἔννατα, *quod post octo dies rursus apparuit.* 3. σαρακοστά, *quod quadragesimo die in cælum ascendit.* Hinc apud Damascenum τριτεννάται, sacra funebria tertio & nono die celebrari consueta.

Nec Latinis eadem semper consuetudo fuit. Nam S. Ambrosius oratione in Theodosium Imperatorem: alios *diem tertium*, & *tricesimum* obseruare ait; alios, *diem septimum*, & *quadragesimum*. Sed iam communis vsus obtinuit, vt tertius, septimus & tricesimus dies commemorationi nuper mortuorum destinetur: cu-

Digitized by Google

ius numeri rationem reddit Alcuinus libro de diuinis officiis sub finem; & Amalarius lib. 4. cap. 42. vbi etiam ex S. Augustino indicat, nouenarium dierum numerum, tanquam Ethnicum, reiici debere. Sed variæ sunt Ecclesiarum consuetudines, & quælibet non iniuria suo in sensu abundare permittitur.

Anniuersariæ oblationis pro defunctis meminit quoque Tertullianus lib. de Corona militis, cap. 3. de Monogamia cap. 10. & lib. exhortatione ad castitatem. Quos locos, vt & alios pro sacrificio Missæ, & precibus pro defunctis, vindicaui à flagitiosis Iunij Caluinistæ corruptelis in Animaduersionibus ad notas Tertullianéas eiusdem Iunij, cap. 3. & 4.

Tertium diem pro defunctorum subsidio delectum esse ad imitationem Dominicæ resurrectionis, docet Isidorus Pelusiota, lib. 1. Epist. 114. *Sic autem nos quoque eorum, qui mortem obeunt, memoriam celebrare consueuimus. Quacunque hora diei quispiam vitam cum morte commutarit, postero duntaxat die interiecto, altero post die tertianum ipsius diem agimus.*

In libro Quæstionum ad Antiochum, qui sub Athanasij nomine circumfertur, quæstio 34. est talis. Τί οὖν; οὐκ αἰσθάνονταί τινος εὐεργεσίας καὶ αἱ τῶν ἁμαρτωλῶν ψυχαὶ, γινομένων ὑπὲρ αὐτῶν συνάξεων, καὶ εὐποιιῶν καὶ προσφορῶν; Quæ nescio quis Interpres ita vertit. Quid ergo? *Num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ cum super illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum, & oblationum?* Obscurè prorsus & tenebricosè. Hoc enim quæritur; An non animæ peccatorum hinc profectæ, sentiant ea benefacta, seu bona opera, quæ pro illis suscipiuntur; cuiusmodi sunt *Synaxes*, quæ non sunt simpliciter conuentus; sed conuentus ad preces, ad Litur-

giam ſeu Miſſam; & ad cõmunionem corporis ac ſanguinis Chriſti; item ἐυποιΐαι, hoc eſt, eleemoſynæ & beneficentia in pauperes; tandemque προσφοραὶ, hoc eſt, Miſſæ pro defunctis celebratæ. Nam vt Latinis oblatio ſæpe eſt Miſſa; ita & Græcis προσφορὰ, eſt Liturgia.

Ad hanc quæſtionem hoc ſenſu propoſitam, hæc reſponſio datur. εἰ μή τινος ἐυεργεσίας μετεῖχον ἐκ τούτου, οὐκ ἂν ἐν τῇ προσκομιδῇ ἐμνημονεύοντο. Interpres. *Si non aliquo beneficio participarent ex illo; non vtiq; in cura & exequiis fieret commemoratio.* Perperam. Tu verte. *Niſi aliquid beneficij ex hoc perciperent, non fieret eorum in oblatione* ſeu *Liturgia*, hoc eſt, in Miſſa, *commemoratio*. Nam προσκομιδὴ non ſignificat *exequias*, ſed Liturgicam oblationem ſeu *Miſſam*; in quà viuentium & mortuorum commemoratio inſtituitur. Qua de cauſſa, niſi vt inde ad illos aliquis fructus redundet?

Subiungitur. *Sicut vitis floreſcit extra in agro, & odorem eius ſentit in vaſe recluſum vinum*, καὶ συνανθεῖ καὶ αὐτὸς. *ſimulque & ipſum floreſcit.* οὕτω νόει καὶ τὰς τῶν ἁμαρτωλῶν ψυχὰς μετέχειν ἐυεργεσίας τινὸς ἐκ τῆς ὑπὲρ αὐτῶν γινομένης ἀναιμάκτου θυσίας καὶ ἐυποιΐας. Interpres. *Ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficentia ab exangui immolatione & gratificatione pro ipſis facta.* Inſidioſè porſus, ne dicam malitioſè, vt mos Catholicus ſacrificandi & eleemoſynas pro defunctis erogandi, obſcuretur, & tenebris implicetur. Verte ergo. *Ita etiam cogita, peccatorum animas fructum capere ex incruento ſacrificio pro ipſis oblato; & eleemoſynis in egenos diſtributis.* Hæc notare volui, vt intelligat lector, qua fide præpoſteræ fidei interpretes in vertendis ſcriptoribus verſari ſoleant. Nimirũ, quidquid paulo euidentius Catholicum dogma reſipit, illud tegunt, & improbitatis ſuæ caligine obnubilant. Infinita

huius

Digitized by Google

huius generis exempla proferri possent, si hoc nunc ageremus.

CAPVT II.

Lampades ad sepulchra. Floribus tumuli sparsi. Epitaphia addita.


D sepulchra, præsertim Martyrum, cereos accendere, adeo vsitatum fuit, vt Vigilantius inde orthodoxos calumniis incessendi ansam arripuerit. Nam apud S. Hieronymum hæ eius criminationes exstant. *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicunque puluisculum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum, osculantes adorare. Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos: quos agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis illustrat.*

In quem S. Hieronymus. *Quis, ô insanum caput, aliquando martyres adorauit?* (Intelligit de eo cultu, qui soli Deo debetur. Quare subdit.) *Quis hominem putauit Deum?* &c. *Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed, vt noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui, propter imperitiam & simplicitatem, secularium hominum, vel certè religiosarum feminarum, de quibus verè possumus dicere: Confiteor, Zelum* DEI *habent,* *Rom.* 10. *sed non secundum scientiam: hoc pro honore Martyrum faciunt; quid inde perdis? Causabantur olim & Apostoli, quòd periret vnguentum, sed Domini voce correpti sunt. neque* *Matth.* 26. *enim Christus indigebat vnguento; nec martyres lumine*

cereorum. Et tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, deuotioq́ mentis eius recipitur: & quicunq; accendunt cereos,
Rom. 14. *secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo; Vnusquisq; suo sensu abundat. Idololatras appellas huiusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, de idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia, quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore violari? illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est. Nam & absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur luminaria, tam sole rutilante, non vtiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*
Matth. 25. *Vnde & Virgines illæ Euangelicæ semper habent accensas lampades suas; & ad Apostolos dicitur;*
Luc. 12. *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

Hæc pulchrè & eleganter S. Hieronymus. Vnde sectarij quoque ad solennem illam suam obiectionem responsum petere possunt. *Ethnici hoc vel illud fecerunt: ergo Christiani, dum idem faciunt Ethnicos imitantur.* Minimè verò; nam finis diuersus vtrosque discriminat, & quidem ingenti interuallo; nam quod illi agebant; id idolis fiebat; quod nos, id Deo fit, aut sanctis, aut saluti defunctorum, aut in eius fidei, qua claruerunt, & hinc excesserunt, testimonium.

Nec est, quòd quis ob illa verba; *Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*; Suspicetur, S. Hieronymum absolutè damnasse eorum morem, qui interdiu cereos ad Martyrum tumulos accendebant, quia non nisi illos reprehendit, qui cereos accendebant, existimantes Martyres inde illustrari; nam Vigilantius

per

perironiam dixerat: *Magnum honorem prabent huiusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari. De his ergo qui cum tali opinione falsa cereos accendunt*, S. Hieronymus dicit, eos zelum habere, sed non secundum scientiam, vt rectè explicat Bellarminus lib. 2. de sanctis cap. 4. qui & ex supra iam recitatis verbis & ex Epistola ad Riparium contra Vigilantium demonstrat, S. Hieronymum morem cereos ad sepulchra sanctorum accendendi, seclusa praua existimatione, non improbasse.

Nec ad sanctorum duntaxat, sed & ad quorumuis defunctorum monumenta cerei seu lampades accendebantur. Quin magnus quoque Athanasius in elegantissima illa oratione, quam de iis, qui è vita discesserunt, edidit, his verbis vtitur, inquit Damascenus Orat. *de Fidelibus defunctis. Etiamsi in aëre collocatus sit ille, qui cum pietate diem vita extremum egit, tamen, implorata Christi* D*EI ope, oleum ac ceram ad ipsius sepulchrum accendere ne recuses. Grata enim & accepta hac* D*EO sunt, ingensq́; ab eo pramium referunt. Oleum enim ac cera holocausti instar sunt: incruentum autem sacrificium,* D*EVM placat. Beneficentia deniq; erga pauperes, bona omnis remunerationis incrementum est. Quamobrem ei, qui pro defuncto oblationem facit, idem sit propositum, quod illi, qui paruulum filium, ac prorsus infirmum & imbecillum habet: ac deinde eo morbo laborante cereos & suffitum cum oleo coniunctum ad diuinum templum affert, eaq́; filij nomine adolet, atque absumit. Non enim hac puer ipse tenet atq; offert, quemadmodū nec renunciationes atq; coniunctiones ipse obit, cum diuinitus regeneratur. Consimilem in modum existimet eum, qui extremo vita die in Domino perfunctus sit, cereos & oleum, eaq́; omnia, qua pro ipsius redemptione offeruntur, & manibus te-*

nere, & offerre. Hac enim ratione per DEI gratiam ab eo scopo, quem cum fide intuetur, haudquaquam aberrabit. Hęc Athanasius & Damascenus.

De Pelagia, matre B. Aredij Abbatis isthæc Gregorius Turonensis lib. de Gloria confessorum cap. 104. *Posuerunt cereum ad caput eius dicentes; parum nobis est cera, & nox prolixior habetur, cum ad matutinum consurgimus, tunc accendatur cereus iste, & clauso ostio abierunt. Expleto autem somno, ingressi Basilicam, inuenerunt cereum ardentem, quem exstinctum reliquerant.*

Huic mori obstare videtur Concilium Eliberitanū, quod cap. 34. vetuit, *in cœmeteriis lumina accendi, ne anima defunctorum inquietentur.* Verum hæc prohibitio morem hunc non tangit: Vetat enim, ne per incantamenta adhibitâ accensione luminum, animæ defunctorum euocentur, eo modo, quo à Pythonissa euocatus fuit Samuel 1. Reg. 18. qui etiam euocatus dixit: *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Vide Baroniū Tom. 1. Anno XXXIV. N. 312.

De tumulo floribus exornato S. Hieronymus ad Pammachium. *Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosq; flores, & dolorem pectoris his officiis consolantur.*

Prudentius. *Nos tecta fouebimus ossa, violis & fronde frequenti, titulumq; & frigida saxa liquido spargemus odore.* Ergo non tantum floribus, sed & odoribus sepulchra adspergebant.

De Epitaphiis dicere, mora mera fuerit; cum omnia templa & cœmeteria, Epitaphiorum sint plenissima. Quid enim vsitatius, quam sepulchris inscriptiones addere? Prudentius de Passione Hippolyti Episcopi & Martyris.

Innu-

Digitized by Google

Innumeros cineres sanctorum Romula in vrbe
Vidimus, &c.
Incisos tumulis, titulos, & singula quæuis
Nomina difficile est, vt replicare queam.
Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.

Fecit & S. Hieronymus beatę Paulę Epitaphium, quod exstat in Epistola S. Hieronymi de obitu Paulæ.

Exstant adhuc, inquit Onuphrius libell. de cœmeteriis, multa sanctorum Martyrum Epitaphia carmine facta, quibus Damasus Papa eorum sepulchra exornauit. Huius generis multa Epitaphia Christiana inuenies in Appendice antiquarum Inscriptionum Gruteri. Vide etiam Epitaphium Probi & Probę clarissimorum & nobilissimorum coniugum apud Baronium Anno Redemptoris CCC. XCV.

Exeruit hîc quoque Zvvinglianus & Caluinianus Alastor vngues suos. Audi Lauatherum in libello de Ritibus Ecclesiæ Tigurinæ. *Quatuor sunt in vrbe Cæmeteria, nec discrimen est hîc vllum loci vel sepultura pauperis ac diuitis.* (Obserua; apud Zvvinglianos æquè honorificè tumulatur carnifex ac Prædicans) *Epitaphia quoque nulla amplius vel saxis vel aneis tabulis inciduntur. Lapidibus sculptis sepulchra non conteguntur.* Summa summarũ, omnia, quæ defunctorum memoriam, & ex memoria preces pro defunctis excitare & elicere possent, sedulo ex hominum conspectu Caluinianus genius remouit. Cui mirum, ab vllo vel ingenuo, vel erudito obtemperari.

Digitized by Google

CAPVT III.
De Epulis funebribus.


VNERALIA conuiuia instituebantur vel priuatis in ædibus; vel publicè in Ecclesiis & cœmeteriis; conuocatis ad ea defuncti cognatis, necessariis, amicis, & ante omnes, clericis, & egenis, mortuo in subsidium & solamen, ex hac stipe & eleemosyna.

Conuiuia prioris generis, nemo reprehendit, obseruatis temperantiæ & sobrietatis legibus, quæ vbique sanctè custodiri debent, vt vitetur culpa & reprehensio. Qua de re iam olim clericos admonuit Clemens Romanus lib. 8. Constitut. Apostolicarum cap. 44. *Qui in exequiis mortuorum ad conuiuium funebre inuitati estis, ordine & cum timore DEI epulamini, vt possitis preces pro defunctis adhibere DEO. Qui enim presbyteri & diaconi estis, debetis semper sobrij esse, tum vobis, tum aliis, vt possitis eos, qui incompositè & immoderatè viuunt, monere; ait enim scriptura, qui potestatem gerunt, iracundi sunt, ne bibant vinum, ne bibendo, sapientia sua obliuiscantur, & incorruptè iudicare non possint. Presbyteri ergò & diaconi, post DEVM omnipotentem, & filium eius dilectum, Ecclesiæ potestates sunt. Sed hoc non eo dicimus, vt non bibant vinum, cum aliòqui non liceat, quod à DEO factum est ad lætitiam, id vituperare; sed, vt non fiant temulenti; non enim dixit scriptura, non esse bibendum vinum; sed, ne, inquit, bibe ad ebrietatem. Et rursus; spina, inquit, oriuntur in manu ebrij. Verum hoc non de iis tantum dicimus, qui sunt in Clero, sed etiam de omni laico Christiano, super quem inuocatum est nomen Domini nostri IESV Christi. Ipsis enim dictum est, cui va? cui tumultus?*

tus? cui fastidia & nugæ? cuius oculi liuidi? cui confractiones incassum? nonne eorum hæc sunt, qui in vino multum temporis ponunt, & vbi conuiuia sint, speculantur?

De his conuiuiis Origenes lib. 3. in Iob. *Celebramus* (mortis diem) *religiosos cum sacerdotibus conuocantes, fideles vna cum clero inuitantes, adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes: vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctorum animabus, quarum memoriam celebramus; nobis autem efficiatur in odorem suauitatis in conspectu æterni Dei.* Ad hanc consuetudinem allusit S. Chrysostomus Hom. 32. in Matthæum. *Cur post mortem tuorum pauperes vocas? Cur presbyteros, vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro te responsurum: vt defunctus requiem adipiscatur, & propicium iudicem inueniat.*

In Concilio Coyacensi Anno Domini M. L. celebrato exstat hoc statutum. *Clerici & Laici, qui ad conuiuia defunctorum venerint, sic panem defuncti comedant, vt aliquid boni pro eius anima faciant; ad quæ tamen conuiuia vocentur pauperes & debiles pro anima defuncti.*

Illustre exemplum funeralis *agapes* seu *agapæ*, (sic enim hæc & similia conuiuia appellabantur) suppeditat nobis S. Paulinus Epist. 81. ad Alethium, qui funus vxoris suæ Rnffinæ, filiæ S. Paulæ Romanæ, celebrare voluit conuocatione egenorum in Ecclesiam S. Petri Romæ, quos cibo & potu largiter refecit, nudos liberaliter vestiuit, omnique charitatis ac misericordiæ genere refocillauit. Cuius beneficentiam, & pro anima defunctæ coniugis curam amplissimè laudauit & commendauit S. Paulinus, de cuius encomio partem nonnullam huc transcribere placet.

Patronos animarum nostrarum pauperes, qui totâ Româ stipem meritant, multitudinem in aulam Apostoli congregasti,

gasti. Pulchro equidem tanto operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor tota illa religiosa miseranda plebis examina, illos pietatis diuinæ alumnos tantis influere penitus agminibus in amplissimam gloriosi Petri Basilicam, per illam venerabilem regiam, cerulâ eminus fronte ridentem, vt tota & intra Basilicam, & pro ianuis atrij, & pro gradibus campi spatia coarctentur. Video congregatos ita distinctè per accubitus ordinari, & profluis omnes saturari cibis; vt ante oculos Euangelicæ benedictionis vbertas, eorumq; populorum imago versetur, quos quinq; panibus & duobus piscibus panis ipse verus, & aqua viua piscis Christus expleuit, &c.

Quam latum DEO *& sanctis Angelis eius de hac tua (vt dici solet) pera spectaculum sacer editor exhibebas? quanto ipsum Apostolum attollebas gaudio, cum totam eius basilicam densis inopum cœtibus stipauisses: vel qua sub alto sui culminis medijs ampla laquearibus longum patet, & Apostolico eminus solio coruscans, ingredientium lumina stringit, & corda lætificat; vel qua sub eâdem mole tectorum geminis vtrinque porticibus latera diffundit: quáue protento nitens atrio fusa vestibulo est, vbi cantharum ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat,* &c. *Quàm latum ergò tunc* DEO *& Angelis pacis & cunctis sanctorum spiritibus spectaculum tribuisti. Primum de Apostoli veneratione, cuius fidem ac memoriam tam multiplicatam opulentiæ deuotione celebrasti, sacras nimirum hostias, casta libamina cum acceptissima ipsius commemoratione* DEO *deferens; deinde munificentiâ consequenti te ipsum in corde mundo & spiritu humiliato acceptissimum sacrificium offerens Christo, in cuius tabernaculis vera iubilationis hostias immolasti, reficiens & pascens eos, qui benedictione numerosâ laudis hostiam sacrificarent* DEO. *Quàm bono tunc vrbs nostra tumultu fremebat, cum tu misericordia*


dia viscera reficiendis & operiendis pauperibus effundens, pallida esurientium corpora reformares, aridas sitientium fauces rigares, tremula algentium membra vestires, & omnium consona in DEI benedictionem ora reserares?

Quod verò S.Paulinus dicit, pauperes illos, Aletij, viri clarissimi, conuiuas, ordinatos fuisse per *accubitus*, nomine *accubituum* intelligit loca, in quibus accumbebatur, siue accubitus perficeretur sedendo, siue iacendo; quamuis *accubitus*, etiam accipi queat pro *paratura* integræ mensæ, cui accumbitur. Qua notione hîc apud S.Paulinum accipi potest. Et Constantinopoli erat βῆμα δέκα καὶ ἐννέα ἀκκουβίτων, *nouendecim Acubituum*, hoc est, mensarum quibus accumbi poterat; cuius loci frequens est mentio apud Latinos & Græcos Historicos, nominatim apud Luitprandum lib. 6. cap. 3. vbi ista: *Est domus iuxta Hippodromum, Aquilonem versus, miræ & altitudinis & pulchritudinis, quæ decaënnea cubita vocatur. Quod nomen non ab re, sed ex apparentibus causis sortita est: δέκα enim Græcè; Latinè, decem: ἐννέα nouem: cubita aut à cubando inclinata, vel curuata possumus dicere. Hoc autem ideo, quoniam quidem XIX. mensæ in ea, quæ secundum carnem est Domini nostri IESV Christi natiuitate apponuntur. In quibus Imperator pariter & conuiuæ non sedendo, vt cæteris diebus, sed recumbendo epulantur. Quibus in diebus non argenteis, sed tantum aureis vasis ministratur.*

Paulus Diaconus in Leone. *Silentium* (hoc est, consilium seu senatum) *contra sanctas & venerabiles celebrauit iconas in tribunali decem ac nouem cubituum.* Corrigunt aliqui. *Accubituum.* Sed nil opus. nam Græci primas syllabas vel literas detruncare solent: vt σπιτίον, pro, *hospitium. Spania*, pro *Hispania.* quo pacto etiam Germani dicunt; *Spital*, & *Spanien*, pro *Hospitali* & *Hispania.*

Eiuſdem notæ eſt, *cubita* pro, *accubita*. Vides igitur verbum *accubitus*, à Latinis ad Græcos tranſiiſſe, & quidē eodem ſignificatu. Zonaras in LXXIV. Canonem Trullanum. *ἀκούβιτα στρωννύειν. ἥτε λέξις τῶν ἀκουβίτων τῶν λατίνων ἐστὶ, ἀκούμβου γὰρ παρὰ ῥωμαίοις τὸ ἀνακλίνεσθαι σημαίνει στρώμνας ἠρμένας εἰς ὕψος καὶ μαλακάς. αὗται δὲ τρυφῆς καὶ μαλακίας εἰσίν.* Eadem ferè ſcribit Ioannes Citrius in Reſponſis ad Quæſtiones Conſtantini Cabaſilæ, & Balſamon in Can. 74. Trullanum. Plura eiuſdem originis & propaginis vocabula tranſtulerunt recentiores Græci in ſuam linguam; vt *ἀκούμβα*, & *ἀκουμβιλική*. idem quod *accubitus*. *ἀκουμβίζειν*, accumbere, *ἀκούμβων* accumbens, *ἀκούμβισμα fulcrum.*

Licet verò huiuſmodi epulæ in Eccleſiis præberi conſueuerint; quia tamen, etiam à cautiſſimis, vix vlla cautio ſufficiens adhiberi poteſt, quo minus varij abuſus irrepant; eam ob cauſſam non iniuriâ omnia conuiuia cuiuſcunque generis omneſque accubitus ab Eccleſiis excluſa ſunt; Concilium Laodicenum cap. 28. *Non oportet in Baſilicis ſeu Eccleſiis agapen facere, & intus manducare, vel accubitus ſternere.* Similia ſtatuit Concilium Carthaginenſe. III. cap. 50. & Trullani patres Can. 74. Et lib. 6. Capitul. Franc. *Super mortuorum tumulos nec manducare, nec bibere præſumant. Quod ſi fecerint, Canonicam ſententiam accipiant.*



CAPVT

CAPUT IV.

De more collocandi cibos supra sepulchra defunctorum.



TIAM cibos ad sepulchra defunctorum ferebant. De more constat ex variis sermonibus S. Augustini, præsertim ex Homil. 15. de sanctis, quæ est in Cathedram S. Petri. *Miror*, inquit S. Augustinus, *cur apud quosdam infideles hodie*, (hoc est, in Cathedra S. Petri) *tam perniciosus error increuerit, vt super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantum requirit, spiritus autem & anima his non indigent. Parare aliquis suis charis dicit, quod ipse deuorat, quod præstat ventri, imputat pietati. Cessate ergo fratres ab hoc gentili infidelitatis errore. Animæ enim sanctæ, quæ in hoc sæculo, aut per vitæ innocentiam puræ sunt, aut pœnitentiæ satisfactione purgantur, à saluatore nostro recipiuntur, & cum eo esse credendæ sunt, secundum Apostoli dictum, cupio dissolui & esse cum Christo. Animæ* Phil. 1. *ergò fratrum, parentumq; nostrorum minimè cibis carnalibus delectantur. Offendi his magis possunt, quàm delectari, si, cùm illæ in sacris sedibus sint, vos eas in terra esse credatis.*

Ex his S. Augustini verbis planum fit, quo fine & cõsilio isti dapes merumque ad defunctorum sepulchra attulerint & extulerint; nempe, quod crederent animas hoc ferculorum officio non tantum egere; sed & delectari. Qui sanè spissus error fuit; nec immeritò omni orationis vehementia profligandus & exterminandus. *Cessate ergo ab his erroribus*, inquit S. Augusti-

Digitized by Google

Coloss. 3. nus, *& sicut scriptum est; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: vt superstitiones fidei vestræ contrarias repudiantes, dum ea, quæ* DEO *placita sunt, faciatis, etiam vos cum Christo in æternum esse mereamini.*

Ad eandem consuetudinem respexit S. Augustinus serm. 130. de diuersis, vbi resurrectionis contemptores ita loquentes introducit, *Benè nobis faciamus, cum viuimus; cum autem mortui fuerimus, etiamsi parentes aut chari, aut propinqui afferant ad sepulchra nostra, sibi afferent, qui viuunt, non nobis mortuis. Et hæc quidem irrisit etiam scri-*

Ecclesiast. 30. *ptura, dicens de quibusdam bona præsentia non sentientibus; Tanquam si epulas, inquit, mortuo circumponas. Et manifestum est hoc, ad mortuos non pertinere, & cõsuetudinem hanc esse paganorum, non venire de propagine illa, & vena iustitiæ Patrum nostrorum Patriarcharum, quibus exequias celebratas esse legimus, parentatum esse, non legimus. Hoc etiam in moribus Iudæorum animaduerti potest, non enim tenuerunt inde virtutis frugem, sed tamen tenuerunt in quibusdam solennitatibus consuetudinis vetustatem.*

Sed defendebant se isti scripturarum auctoritate. Subdit enim S. Augustinus. *Quod obiiciunt quidam de*

Tob. 4. *scripturis; Frange panem tuum, & effunde vinum tuum super sepulchra iustorum, & ne tradas eum iniustis; non est quidem de hoc differendum; sed tamen posse dico intelligere fideles quod dictum est. Nam quemadmodum fideles faciant reli-*

Rom. 1. *giosè erga memoriam suorum, notum est fidelibus; quia, Iustus ex fide viuit, etiam hoc fidelibus notum est. Nemo ergò quærat de medicina vulnus, & à scripturis conetur torquere vinculum, vnde laqueum mortis iniiciat animæ suæ. Manifestũ est quemadmodum illud intelligatur, & aperta atque salubris est hæc celebratio Christianorũ,* Cum videlicet eleemosynas pro defunctorũ salute erogant; & tam sacerdotes, quam

quàm egenos ad conuiuium sobriè ineundũ inuitant, vt hoc beneficio deuincti, preces pro mortuo concipiant. Hoc nimirum est obsequi consilio Tobiæ cap. 4. monentis. *Panem tuum & vinum tuum super sepulchrum iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Quod sanè tunc fit, quando pro salute mortui, inopes ad conuiuium vocantur, vel stipe seu eleemosyna donantur, vt necessaria ad victum sibi comparare possint: neque talia in eos effunduntur, qui postquam largiter satiati & saginati fuerint, ne vel vnam quidem precatiunculam ad Deum pro mortuo fundunt; vt plerumque nunc in funeralibus epulis, à quibus pauperes excluduntur, contingere videmus.

Neque etiam sancti Patres hoc fine & animo funerale conuiuium per se reprehendissent, licet in ipsis cœmeteriis seu templis ad charorum & amicorum tumulos instituta fuissent; nisi temulentiæ vitiũ in hunc morem sese insinuasset; vt factum quoque in Epulis ad sepulchra Martyrum.

Cæterum consuetudo collocandi cibos supra mortuorum monumenta, in festo Cathedræ S. Petri, manauit itidem in Galliam; quam Canon XXXIV. secundæ Synodi Turonensis penitus sustulit. Vide insuper Canones 68. & 69. Græcarum Synodorum à Martino Braccarensi collectos, ex quibus Gratianus de consecrat. d. 1. cap. *Non oportet. Non liceat Christianis prandia ad defunctorũ sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.* Et hunc morem dapes ad sepulchra deferendi visum est penitus ex Ecclesia expellere propter præsentissimum variorum abusuum periculum.



CAPVT

CAPVT V.

De more ferendi Epulas ad sepulchra & Basilicas Martyrum: deque variis Agapes speciebus. Varia Patrum de his dicta & iudicia.



Os hic constat ex variis S. Augustini & aliorum testimoniis, Epist. 64. ad Aurelium. lib. de moribus Catholicę Ecclesiæ cap. 23. lib. 8. de ciuit. Dei cap. vlt. lib. 5. confess. cap. 2. & aliunde. Et inprimis negari non potest, morem hunc ex pietate fuisse ortum, exque amore & obseruantia erga sanctos Martyres; vtque eorum meritis & precibus esculenta & poculenta sanctificarentur, & tam ad salutem animæ, quam corporis conducerent.

Indicat hoc S. Augustinus lib. 8. de ciuit. Dei cap. vlt. *Quicunq; etiam Epulas suas eo deferunt, quod quidem à Christianis melioribus non fit; & in plerisq; terrarum nulla talis est consuetudo: tamen, quicunque id faciunt; quas cum apposuerint, orant, & auferunt vt vescantur; vel ex eis etiam indigentibus largiantur: sanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum, in nomine Domini Martyrum. Non autem ista esse sacrificia Martyrum, nouit, qui nouit vnum quod* DEO *illic offertur sacrificium Christianorum.*

Animaduertis hic, quo fine S. Augustinus hunc morem approbarit, vbi & illud obserua, nonnullos dapes ad sepulchra Martyrum apportatas, reportasse domū, illicque absumpsisse; quod adhuc tolerabilius erat, quàm si ad ipsos tumulos conuiuium initum fuisset.

Eadem

Digitized by Google

Eadem ferè mens fuit S. Monicæ D. Augustini matris; de qua quid S. Augustinus lib. 5. Confess. cap. 2. scriptum reliquerit hic attexam; quia mori huic ex verbis eius lux clarissima affundetur. Ita ergo S. Augustinus: *Cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes & panem & merum attulisset, atq. ab ostiario prohiberetur; Vbi hoc Episcopum vetuisse cognouit, tam piè atq. obedienter amplexa est, vt ipse miraretur; quòd tam facilè accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit.*

Vides ergo hunc morem à sanctissimo Episcopo Ambrosio fuisse sublatum; quem, vtpote Africanum & patrium, in Italia B. Monica obseruare volebat. Vides insuper, quam promptè S. Monica interdicto sancti præsulis paruerit: quam sine contradictione ad eius iussa sese accommodauerit.

Adiungit S. Augustinus. *Non enim obsidebat spiritum eius vinolentia, eamq. stimulabat in odium veri amor vini, sicut plerosq. mares & fœminas, qui ad canticum sobrietatis, sicut ad potionem aquatam madidi nauseant. Sed illa cùm attulisset canistrum cum solennibus epulis prægustandis, atque largiendis, plus etiam quàm vnum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, vnde dignationem sumeret, non ponebat. Et si multa essent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum vnum, quod vbique poneret, circumferebat, quo iam non solùm aquatissimo, sed etiam tepidissimo cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur; quia, pietatem ibi quærebat, non voluptatem.*

Obserua hîc, ad plures Martyrum memorias seu Basilicas itum fuisse, etiam eodem die; & in singulis de cibo & potu allato, aliquid gustatum, benedictionis caussa.

Subdit S. Augustinus de S. Monica. *Itaq; vbi comperit à præclaro prædicatore atque Antistite pietatis præceptum esse, ista non fieri, nec ab eis qui sobriè facerent, ne vlla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis: & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissimè, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum afferre didicerat; & vt, quod posset, daret egentibus; & si communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati & coronati sunt Martyres.*

Quin & in anniuersariis Martyrum festis conuiuia in honorem Martyrum agitarunt partim domi in priuatis ædibus, partim quoque in templis, quæ Christiani Doctores, quoad intra sobrietatis limites constitêre, non culparunt. Theodoretus lib. 8. ad Græcos sub finem. *Suos mortuos Dominus Deus noster, in templa pro diis vestris induxit. Ac illos quidem cassos gloria, vanosq; reddidit: suis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim, Diasiisq; ac Dionysiis (hoc est, Iouis, liberiq; Patris solennitatibus) Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauricio, aliisq; sanctis Martyribus solennitates populari epulo peraguntur. Proq; illa veteri pompa, pro turpi obscænitate ac impudentia, fiunt modesta, casta ac temperantia plena festiuitates: non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leues, non cachinnis solutæ; sed diuinis canticis personantes, sacrisq; sermonibus audiendis, intentæ, in quibus ad DEVM preces non sine sanctis lachrymis ac suspiriis summittuntur.*

Sanctus quoque Paulinus Natali IX. S. Felicis consuetudini huic, etiam in ipso templo, veniam habendam censet, præsertim, quod ad simpliciores attinet. Ita enim canit.

Lætitia somnos: tenebras funalibus arcent.
Verum vtinam sanis agerent hæc gaudia votis,
Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.
Quamlibet hæc ieiuna cohors potiore resultet
Obsequio, castis sanctos quoq; vocibus hymnos
Personat, & Domino cantat amsobria laudem
Immolat, ignoscenda tamen puto talia, paruis
Gaudia, quæ ducunt epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantæ conscia culpæ,
Simplicitas pietate cadit, malè credula sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulchris.

Adde S. Gregorium, qui Epist. lib. 9. epist. 71. ad Mellitum Abbatem, illis, qui nuper ad Christianam religionem transierant, nonnihil solatij hac in re concedendum arbitratur ita scribens: *Et quia boues solent in sacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari: vt die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis solennitatem celebrent, &c.* Concessit ergo S. Gregorius, vt iuxta Ecclesias & Martyrum Basilicas in tabernaculis ex viridantibus ramis conuiuiola instituerent.

In eandem sententiam D. Chrysostomus Homiliâ in S. Iulianum. *At etiam corporalis mensæ vis fieri particeps? Hic, soluto conuentu, licet iuxta Martyrium sub ficu vel vite diuersanti etiam corpori recreationem indulgere, & condemnatione conscientiam liberare: Martyr enim è propinquo spectatus, & cum sit vicinus, ipsiq; mensæ adstet, voluptatem in peccatum effundi non sinit; sed tanquam pædagogus, aut Pater optimus oculis fidei conspectus, risum comprimit,*

indecoras voluptates circumcidit; lasciuos omnes insultus carnis tollit, quos illic non licet euadere.

Etsi autem sancti isti Patres imbecilliorum infirmitati meritò aliquid dandum existimarunt, quia tamen cum hoc more conuiuia in templis, & ad sepulchra Martyrum instituendi, perniciosa temulentiæ pestis non tantum occultè irrepserat, sed etiam apertè & violenter irruperat, grauissimè sancti Patres in hanc iam non consuetudinem, sed peruersitatem inuecti sunt, præsertim S. Augustinus, cum in Africa contagio ista præcipuè inualuisset; tametsi neque alij Patres in re tam necessaria elingues fuerunt. S. Ambrosius lib. *de Helia & ieiunio. Sicut illi, qui calices ad sepulchra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placare, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt.*

S. Cyprianus de duplici Martyrio. *Temulentia adeo communis est Africa nostra, vt propemodum non habeatur pro crimine. An non videmus ad Martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc leuius crimen esse dicimus, quàm Baccho hircum immolare?*

Gaudentius serm. 4. *Gulæ sua causa, primum cæperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent: post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare. quamuis nec ipsi mortuis suis minus sacrificent parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt.*

S. Augustinus Epist. 64. ad Aurelium. *Comessationes & ebrietates ita concessa & licita putantur, vt in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solum per dies solennes, quod ipsum, quis non lugendum videat, qui hæc non carnis*

ocu-

oculis inspicit, sed etiam quotidie celebrentur. Quam fœditatem, si tantum flagitiosa, & non etiam sacrilega esset, quibuscunque tolerantiæ viribus sustentandam putaremus. Quanquam vbi est illud, quod cum multa vitia enumerasset idem Apostolus, inter quæ posuit ebriosos, ita conclusit, vt diceret, cum talibus nec panem edere. Sed feramus hæc in luxu & labe domestica, & eorum conuiuiorum, quæ priuatis parietibus cõtinentur, accipiamusq; cum eis corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur, saltem de sanctorum corporum sepulchris, saltem de locis sacrorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare priuatim, quod cum frequentatur in sanctis locis honor Martyrum nominatur? Hæc si prima Africa tentaret auferre à cæteris terris, imitatione digna esse deberet. Cum verò & per Italiæ maximam partem, & in aliis omnibus, aut propè omnibus transmarinis Ecclesiis, partim quia nunquam facta sunt, partim quia vel orta, vel inueterata, sanctorum & vere debita de vita cogitantium Episcoporum diligentia & animaduersione extincta atq; deleta sint, dubitamus quo modo possumus tantam morum labem, vel proposito tam lato exemplo emendare? &c. 1.Cor.5.

Sed quoniam ista in cœmeteriis ebrietates & luxuriosa conuiuia, non solùm honores Martyrum à carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur faciliùs illis dissuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de scripturis prohibeatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atq; omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neq; vendantur. Sed si quis, pro religione, aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus erogetur. Ita nec deserere videbuntur memorias suorũ, quod potest gignere nõ leuem cordis dolorem, & id celebrabitur in Ecclesia, quod piè honesteq; celebratur.

S. Augustinus lib. de moribus Catholicæ Ecclesiæ cap.34. *Noui multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores. Noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant; & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesq; suas deputent religioni.* Abutuntur hoc loco Nouatores ad oppugnandũ cultum imaginum & reliquiarum: Tu Bellarminum lege lib.2.de sanctis, cap. 5. Et mox sectariorum cauillationes euanescent.

Porro annisu & studio eorum, quorum intererat; mos epulandi siue in templis, siue in cœmeteriis, siue quomodocunque ad defunctorum sepulchra, tandem penitus sublatus, & ex Ecclesia explosus est; ita vt posteris temporibus vsus eius nullus fuerit, & mentio in eorum duntaxat monumentis exstet, qui in hanc consuetudinem, vt profanam, inuecti sunt.

Nõ est hic silentio prętereundus Faustus Manichęorum antesignamus, qui ex veneratione Martyrum, & ex hoc etiam in Memoriis seu Basilicis Martyrum epulandi more; calumniæ struendæ occasionem sumpsit illis verbis, quæ sunt apud S. Augustinum lib. 20. contra Faustum cap.1. *Sacrificia eorum* (ethnicorum) *vertistis in agapas; idola in Martyres; quos votis similibus colitis: Defunctorum vmbras vino placatis & dapibus*: (quod dicit Faustus propter illos, qui Epulas ad defunctorum sepulchra ferebant) *solennes gentium dies cum ipsis celebratis, vt Kalendas & solstitia*, &c.

Ad cuius calumnias S. Augustinus. *Agapes nostræ pauperes pascunt siue frugibus, siue carnibus*, &c. *Quoniam plerunque in agapibus, etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis* (vos Manichæi) *sacrificiis paganorum*, &c. Et postquam S. Augustinus

nus copiosè oſtendiſſet, ſacrificium Martyribus non offerri, tandem ad conſuetudinem epulandi in Baſilicis martyrum delabitur his verbis. *Qui ſe in memoriis Martyrum inebriant, quomodo à nobis approbari poſſunt, cum eos, etiamſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt, quod docemus; aliud, quod ſuſtinemus: aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur. Alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum. Veruntamen & in hoc ipſo diſtant plurimũ culpa vinolentorum & ſacrilegorum. Longè quippe minorũ peccati eſt, ebrium redire à Martyribus, quam vel ieiunum ſacrificare Martyribus. Sacrificare Martyribus dixi, nõ dixi ſacrificare* DEO *in memoriis Martyrum: quod frequentiſſimè facimus, illo duntaxat ritu, quo ſibi ſacrificari noui teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, & vni* DEO *debetur.*

Obſerua, S. Auguſtinum iure & priuilegio conſuetudinis ſua ætate regnantis vocabulum ἀγάπη, ſeu *Agape*, quæ eſt flexionis ſecundæ apud Græcos, & primæ apud Latinos; ad tertiam Latinam tranſtuliſſe. Quod notare viſum, ne quis Grammaticoteros criticus S. Auguſtinum in ius Grammaticum ambulare iuberet.

Et quia de agapis ſemel ſcribere cœpimus, addamus & hoc; huiuſmodi agapas etiam in templorum dedicationibus inſtitutas fuiſſe. Quapropter S. Gregorius dedicaturus oratorium B Mariæ ſic ad Petrum ſubdiaconum pro *agape* adornanda ſcribit. *Sed quia cellæ ipſius tenuitas exigit debere nos in ipſa diei feſtiuitate concurrere; propterea volumus, vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro ſolidos decem, vini amphoras viginti, annonæ modios ducentos, olei orcas duas,*

ver-

veruecęs duodecim, gallinas centum, quatuis poßint rationibus poſtmodum imputari.

Aduerſus eos, qui huiuſmodi agapas ſpernerent, vocatique accedere reſpuerent, tulit Synodus Gangrenſis hunc Canonem. *εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ μὴ ἐθέλοι κοινωνεῖν, ταῖς κλήσεσι, διὰ τὸ ἐξευτελίζειν τὸ γινόμενον, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis deſpicit eos, qui fideliter agapas, id eſt, conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem DEI conuocant fratres, & noluerit communicare huiuſmodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema ſit.*

Meritò autem hic canon in Agaparum contemptores latus eſt; quia non tam agapas aſpernabantur, quam ipſos pauperes ſimul ad idem commune epulum inuitatos. Quod charitati debitæ prorſus aduerſabatur.

In Concilio Laodiceno Can. 27. vetitum eſt, ne clerici vel laici ad agapas vocati, partes inde tollant, &, vt Balſamon interpretatur, domum ſecum abſportent, *eò quod ignominia inuratur ordini ſacerdotali*; quia turpe erat nomini & ordini huic non tantum iis, quæ apponebantur, veſci, ſed & præterea partes domum ferendas accipere.

Apud Clementem Romanum lib. 2. Conſtitut. cap. 28. ita præcipitur. *Ad conuiuium, quod agape dicitur, & Euangeliſta δοχὴν appellauit, qui anus inuitare voluerint, ei, quam Diaconi afflictam eſſe ſciant, mittant ſæpe: ſeponant verò in conuiuio paſtori, quot conſuetum eſt, primitias dico illius epuli, tanquam ſacerdoti, quamuis non adſit in conuiuio, idq́; in honorem DEI, qui ei ſacerdotium mandauit: quantū verò cuique impertitur, altero tanto plus Diaconis impertiatur, vt ſit munus Chriſto. Presbyteris autem, ſi aſſiduè in ſtudio docendi Verbum DEI laborauerint, ſeponatur dupla etiam por-*

Digitized by Google

portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tanquam consiliarij Episcopi & Ecclesiæ corona; sunt enim consilium & senatus Ecclesiæ. Si autem & lector est, is partem vnam in honorem Prophetarum accipiat; item cantor & ianuæ custos. Vnicuique igitur dignitatis honorem laici habeant, qui in iis, quæ dantur, deceat, & qui reuerentiæ erga vitam illius, cui datur, adhibenda conueniat. Hæc Clemens.

Vbi vides ex agapis partes sepositas & missas esse Ministris Ecclesiæ. Per *anus* seu *Presbytidas* intelligit Clemens Diaconissas natu grandiores, quæ *viduæ* quoque vocabantur vt intelligi potest ex Epiphanio Hæresi LXXIX. contra Collyridianos. Ita Turrianus in scholiis ad dictum caput Clementis; qui etiam in Annotationibus Apologeticis scribit; ista intelligenda de agapis priuatis in ædibus, non in Ecclesiis iniri & exhiberi solitis; has enim nunquam fuisse probatas. Verùm etsi simpliciter probatæ non sunt, toleratæ tamen fuerunt; vt exemplis allatis iam non semel vidimus.

In Synodo Laodicena can. 28. ὐ δεῖ τὰς ἀγάπας ἐν τοῖς κυριακοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ποιεῖν, καὶ ἐν οἴκῳ τῦ θεῦ ἐσθίειν. *Non oportet agapas in Dominicis siue Ecclesiis facere; neq; in domo Dei manducare.* Idem totidem verbis Canon Trullanus 74. de quo etiam supra. Est autem idem prorsus κυριακὸν, (vnde Germani habent voculam Kirch/) & *Ecclesia*: Et Ioannes Quintinus Hæduus in Commentario ad Canonem vndecimum Synodi Gangrensis rectè ostendit ex Zonara, particulam ἢ in Græco textu nō esse *disiunctiuam*, sed *coniunctiuam* seu *expositiuam*; addita enim est vox Ecclesiæ, vt tanquam clarior obscuriorem τῦ κυριακῦ dictionē explanaret; quidquid contra hoc nitatur Balsamō in explicatione 74. Canonis Trullani.

Est autem κυριακὸν, ad verbum, *Dominicum*. Vnde Germani habent voculam suæ linguæ *Dom*, seu *thom*, *thum*, pro templo cathedrali. S. Hieronymus in Chronico. *In Antiochia* Dominicum, *quod vocant Aureum*, *ædificari cœptum*. Idem. *Antiochiæ Dominicum aureum dedicatur*.

Porro Synodus Trullana transgressoribus hanc pœnam decreuit. οἱ δὲ τοῦτο ποιεῖν τολμῶντες ἢ παυσάσθωσαν ἢ ἀφοριζέσθωσαν. *Qui hæc facere audent; aut cessent, aut excommunicentur*. In Carthaginensi quoque Synodo statutum est. *Episcopos, aut Clericos in Ecclesia conuiuari non decet. Nisi fortè necessitate peregrinationis transeuntes, illic hospitentur. Et Laici pariter ab istiusmodi conuiuiis (quantum possibile est) prohibeantur. Cum verò diuertere non licet alio; vel si qua iusta necessitas, aut caussa eo nos adigit, culpa vacamus*, inquit Quintinus in Can. 11. Synodi Gangrensis. Et hoc decretum exstat quoque apud Gratianum D. 42. *Nulli*.

Videntur autem agapæ non tantum in conuiuiis & epulis, verumetiam in esculentorum & poculentorum distributione positæ fuisse; id enim indicare non abs re credas, illa verba S. Augustini: *Plerumq; in agapibus etiam carnes pauperibus erogantur*. Pamelius in lib. Tertulliani ad Martyres Annot. XXIII. *Huiusmodi agapen*, inquit, Germani *spendam* vocant. Est autem *spenda* vel à σπένδω, vel à *dispenso*. Et in hanc sententiam accipit idem Pamelius illud S. Hieronymi. *Cum ad agapen vocauerint, præco conducitur*. Est autem Græcis ἀγάπη, *charitas*: quod vocabulum ad epulas istas translatum est, quia charitatis conseruandæ, ineundæ, integrandæ & resarciendæ argumentum erat. Neque tantum ea conuiuia, quæ pauperibus vel præcipuè, vel saltem potissimum præpara-

parabantur, hoc nomen tulerunt; sed & communes ac vulgares Christianorum mensæ hoc nomine afficiebantur. Testis videtur Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est*, &c. *Siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus*, &c. Quamuis, vt verum fatear, non puto Tertullianum loqui de vsualibus & quotidianis cœnis, sed de illis præcipuè, quæ in communi, & maximè in pauperum subsidium apparabantur; quandoquidem subdit: *Post aquam manualem & lumina, vt quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere: Hinc probatur, quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit: inde disceditur non in cateruas cæsionum, neq; in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm disciplinam.* Hæc Tertullianus. Ad quæ rectè annotat Pamelius contra Rhenanum & Magdeburgenses cœnam hanc aliam fuisse à sacrificio Eucharistico, seu *cœna Dominica.*

Quidquid sit de Tertulliano, certè S. Iudas in sua epistola *agapæ* vocē pro quacunq; refectione, hoc est, pro vulgari prandio & cœna vsurpare videtur. οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες. *Hi sunt in epulis vestris maculæ.*

In libro ad Martyres nominat Tertullianus *agapas* ea, quæ corporis reficiendi caussa mittebantur captiuis Christianis. Audi verba Tertulliani. *Imò & quæ iusta sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, & agapen fratrum.* Vbi agape non præcisè dilectionem, sed esculenta & poculenta significat, quibus Martyres in carceribus, curâ & missu Christianorū adeo abundabant, vt etiam

Digitized by Google

Subdit S. Augustinus de S. Monica. *Itaq; vbi comperit à praclaro pradicatore atque Antistite pietatis praceptum esse, ista non fieri, nec ab eis qui sobriè facerent, ne vlla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis: & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissimè, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum afferre didicerat; & vt, quod posset, daret egentibus; & si communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati & coronati sunt Martyres.*

Quin & in anniuersariis Martyrum festis conuiuia in honorem Martyrum agitarunt partim domi in priuatis ædibus, partim quoque in templis, quæ Christiani Doctores, quoad intra sobrietatis limites constitêre, non culparunt. Theodoretus lib. 8. ad Græcos sub finem. *Suos mortuos Dominus Deus noster, in templa pro diis vestris induxit. Ac illos quidem cassos gloria, vanosq; reddidit: suis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim, Diasiisq; ac Dionysiis (hoc est, Iouis, liberiq; Patris solennitatibus) Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauricio, aliisq; sanctis Martyribus solennitates populari epulo peraguntur. Proq; illa veteri pompa, pro turpi obscænitate ac impudentia, fiunt modesta, casta ac temperantia plena festiuitates: non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leues, non cachinnis solutæ; sed diuinis canticis personantes, sacrisq; sermonibus audiendis, intentæ, in quibus ad DEVM preces non sine sanctis lachrymis ac suspiriis summittuntur.*

Sanctus quoque Paulinus Natali IX. S. Felicis consuetudini huic, etiam in ipso templo, veniam habendam censet, præsertim, quod ad simpliciores attinet. Ita enim canit.

Læti-

Lætitia somnos: tenebras funalibus arcent.
Verum vtinam sanis agerent hæc gaudia votis,
Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.
Quamlibet hæc ieiuna cohors potiore resultet
Obsequio, castis sanctos quoq; vocibus hymnos
Personat, & Domino cantat am sobria laudem
Immolat, ignoscenda tamen puto talia, paruis
Gaudia, quæ ducunt epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantæ conscia culpa,
Simplicitas pietate cadit, malè credula sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulchris.

Adde S. Gregorium, qui Epist. lib. 9. epist. 71. ad Mellitum Abbatem, illis, qui nuper ad Christianam religionem transierant, nonnihil solatij hac in re concedendum arbitratur ita scribens: *Et quia boues solent in sacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari: vt die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutata sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis solennitatem celebrent, &c.* Concessit ergo S. Gregorius, vt iuxta Ecclesias & Martyrum Basilicas in tabernaculis ex viridantibus ramis conuiuiola instituerent.

In eandem sententiam D. Chrysostomus Homiliâ in S. Iulianum. *At etiam corporalis mensæ vis fieri particeps? Hic, soluto conuentu, licet iuxta Martyrium sub ficu vel vite diuersanti etiam corpori recreationem indulgere, & condemnatione conscientiam liberare: Martyr enim è propinquo spectatus, & cum sit vicinus, ipsiq; mensæ adstet, voluptatem in peccatum effundi non sinit; sed tanquam pædagogus, aut Pater optimus oculis fidei conspectus, risum comprimit,*

 inde-

indecoras voluptates circumcidit; lasciuos omnes insultus carnis tollit, quos illic non licet euadere.

Etsi autem sancti isti Patres imbecilliorum infirmitati meritò aliquid dandum existimarunt, quia tamen cum hoc more conuiuia in templis, & ad sepulchra Martyrum instituendi, perniciosa temulentiæ pestis non tantum occultè irrepserat, sed etiam apertè & violenter irruperat, grauissimè sancti Patres in hanc iam non consuetudinem, sed peruersitatem inuecti sunt, præsertim S. Augustinus, cum in Africa contagio ista præcipuè inualuisset; tametsi neque alij Patres in re tam necessaria elingues fuerunt. S. Ambrosius lib. *de Helia & ieiunio. Sicut illi, qui calices ad sepulchra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placare, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt.*

S. Cyprianus de duplici Martyrio. *Temulentia adeo communis est Africæ nostræ, vt propemodum non habeatur pro crimine. An non videmus ad Martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc leuius crimen esse dicimus, quàm Baccho hircum immolare?*

Gaudentius serm. 4. *Gulæ suæ causa, primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent: post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare. quamuis nec ipsi mortuis suis minus sacrificent parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt.*

S. Augustinus Epist. 64. ad Aurelium. *Comessationes & ebrietates ita concessæ & licita putantur, vt in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solum per dies solennes, quod ipsum, quis non lugendum videat, qui hæc non carnis*

oca-

oculis inspicit, sed etiam quotidie celebrentur. Quam fœditatem, si tantum flagitiosa, & non etiam sacrilega esset, quibuscunque tolerantia viribus sustentandam putaremus. Quanquam vbi est illud, quod cum multa vitia enumerasset idem Apostolus, inter quæ posuit ebriosos, ita conclusit, vt diceret, cum talibus nec panem edere. Sed feramus hæc in luxu & labe domestica, & eorum conuiuiorum, quæ priuatis parietibus cōtinentur, accipiamusq́ue cum eis corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur, saltem de sanctorum corporum sepulchris, saltem de locis sacrorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare priuatim, quod cum frequentatur in sanctis locis honor Martyrum nominatur? Hæc si prima Africa tentaret auferre à cæteris terris, imitatione digna esse deberet. Cum verò & per Italiæ maximam partem, & in aliis omnibus, aut propè omnibus transmarinis Ecclesiis, partim quia nunquam facta sunt, partim quia vel orta vel inueterata, sanctorum & vere debita de vita cogitantium Episcoporum diligentia & animaduersione extincta atq; deleta sint, dubitamus quo modo possumus tantam morum labem, vel proposito tam lato exemplo emendare? &c. 1.Cor.5.

Sed quoniam ista in cœmeteriis ebrietates & luxuriosa conuiuia, non solùm honores Martyrum à carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur faciliùs illis dissuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de scripturis prohibeatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atq; omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neq; vendantur. Sed si quis, pro religione, aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus erogetur. Ita nec deserere videbuntur memorias suorū, quod potest gignere nō leuem cordis dolorem, & id celebrabitur in Ecclesia, quod piè honesteq; celebratur.

S. Augustinus lib. de moribus Catholicæ Ecclesiæ cap.34. *Noui multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores. Noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant; & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesq; suas deputent religioni.* Abutuntur hoc loco Nouatores ad oppugnandũ cultum imaginum & reliquiarum: Tu Bellarminum lege lib.2.de sanctis, cap. 5. Et mox sectariorum cauillationes euanescent.

Porro annisu & studio eorum, quorum intererat; mos epulandi siue in templis, siue in cœmeteriis, siue quomodocunque ad defunctorum sepulchra, tandem penitus sublatus, & ex Ecclesia explosus est; ita vt posteris temporibus vsus eius nullus fuerit, & mentio in eorum duntaxat monumentis exstet, qui in hanc consuetudinem, vt profanam, inuecti sunt.

Nõ est hic silentio prętereundus Faustus Manichęorum antesignamus, qui ex veneratione Martyrum, & ex hoc etiam in Memoriis seu Basilicis Martyrum epulandi more; calumniæ struendæ occasionem sumpsit illis verbis, quæ sunt apud S. Augustinum lib. 20. contra Faustum cap.1. *Sacrificia eorum* (ethnicorum) *vertistis in agapas; idola in Martyres; quos votis similibus colitis: Defunctorum vmbras vino placatis & dapibus*: (quod dicit Faustus propter illos, qui Epulas ad defunctorum sepulchra ferebant) *solennes gentium dies cum ipsis celebratis, vt Kalendas & solstitia*, &c.

Ad cuius calumnias S. Augustinus. *Agapes nostræ pauperes pascunt siue frugibus, siue carnibus*, &c. *Quoniam plerunque in agapibus, etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis* (vos Manichæi) *sacrificiis paganorum*, &c. Et postquam S. Augustinus

nus copiosè ostendisset, sacrificium Martyribus non offerri, tandem ad consuetudinem epulandi in Basilicis martyrum delabitur his verbis. *Qui se in memoriis Martyrum inebriant, quomodo à nobis approbari possunt, cum eos, etiamsi in domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet? Sed aliud est, quod docemus; aliud, quod sustinemus: aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur. Alia est disciplina Christianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum. Veruntamen & in hoc ipso distant plurimũ culpa vinolentorum & sacrilegorum. Longè quippe minoris peccati est, ebrium redire à Martyribus, quam vel ieiunum sacrificare Martyribus. Sacrificare Martyribus dixi, nõ dixi sacrificare DEO in memoriis Martyrum: quod frequentissimè facimus, illo duntaxat ritu, quo sibi sacrificari noui testamenti manifestatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, & vni DEO debetur.*

Obserua, S. Augustinum iure & priuilegio consuetudinis sua ætate regnantis vocabulum ἀγάπη, seu *Agape*, quæ est flexionis secundæ apud Græcos, & primæ apud Latinos; ad tertiam Latinam transtulisse. Quod notare visum, ne quis Grammaticoteros criticus S. Augustinum in ius Grammaticum ambulare iuberet.

Et quia de agapis semel scribere cœpimus, addamus & hoc; huiusmodi agapas etiam in templorum dedicationibus institutas fuisse. Quapropter S. Gregorius dedicaturus oratorium B Mariæ sic ad Petrum subdiaconum pro *agape* adornanda scribit. *Sed quia cella ipsius tenuitas exigit debere nos in ipsa diei festiuitate concurrere; propter ea volumus, vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras viginti, annonæ modios ducentos, olei orcas duas,*

ver-

vervueces duodecim, gallinas centum, quatuis possint rationibus postmodum imputari.

Aduersus eos, qui huiusmodi agapas spernerent, vocatique accedere respuerent, tulit Synodus Gangrensis hunc Canonem. εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ μὴ ἐθέλοι κοινωνεῖν, ταῖς κλήσεσι, διὰ τὸ ἐξευτελίζειν τὸ γινόμενον, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis despicit eos, qui fideliter agapas, id est, conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem* DEI *conuocant fratres, & noluerit communicare huiusmodi vocationibus, paruipendens quod geritur, anathema sit.*

Meritò autem hic canon in Agaparum contemptores latus est; quia non tam agapas aspernabantur, quam ipsos pauperes simul ad idem commune epulum inuitatos. Quod charitati debitæ prorsus aduersabatur.

In Concilio Laodiceno Can. 27. vetitum est, ne clerici vel laici ad agapas vocati, partes inde tollant, &, vt Balsamon interpretatur, domum secum absportent, *eò quod ignominia inuratur ordini sacerdotali*; quia turpe erat nomini & ordini huic non tantum iis, quæ apponebantur, vesci, sed & præterea partes domum ferendas accipere.

Apud Clementem Romanum lib. 2. Constitut. cap. 28. ita præcipitur. *Ad conuiuium, quod agape dicitur, & Euangelista* δοχὴν *appellauit, qui anus inuitare voluerint, ei, quam Diaconi afflictam esse sciant, mittant sæpe: seponant verò in conuiuio pastori, quot consuetum est, primitias dico illius epuli, tanquam sacerdoti, quamuis non adsit in conuiuio, idq́ in honorem* DEI, *qui ei sacerdotium mandauit: quantū verò cuique impertitur, altero tanto plus Diaconis impertiatur, vt sit munus Christo. Presbyteris autem, si assiduè in studio docendi Verbum* DEI *laborauerint, seponatur dupla etiam per-*

portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tanquam consiliarij Episcopi & Ecclesiæ corona; sunt enim consilium & senatus Ecclesiæ. Si autem & lector est, is partem vnam in honorem Prophetarum accipiat; item cantor & ianuæ custos. Vnicuique igitur dignitati honorem laici habeant, qui in iis, quæ dantur, deceat, & qui reuerentia erga vitam illius, cui datur, adhibenda conueniat. Hæc Clemens.

Vbi vides ex agapis partes sepositas & missas esse Ministris Ecclesiæ. Per *anus* seu *Presbytidas* intelligit Clemens Diaconissas natu grandiores, quæ *viduæ* quoque vocabantur vt intelligi potest ex Epiphanio Hæresi LXXIX. contra Collyridianos. Ita Turrianus in scholiis ad dictum caput Clementis; qui etiam in Annotationibus Apologeticis scribit; ista intelligenda de agapis priuatis in ædibus, non in Ecclesiis iniri & exhiberi solitis; has enim nunquam fuisse probatas. Verùm etsi simpliciter probatæ non sunt, toleratæ tamen fuerunt; vt exemplis allatis iam non semel vidimus.

In Synodo Laodicena can. 28. ὀ δεῖ τὰς ἀγάπας ἐν τοῖς κυριακοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ποιεῖν, καὶ ἐν οἴκῳ τοῦ θεοῦ ἐσθίειν. *Non oportet agapas in Dominicis siue Ecclesiis facere; neque in domo Dei manducare.* Idem totidem verbis Canon Trullanus 74. de quo etiam supra. Est autem idem prorsus κυριακὸν, (vnde Germani habent voculam Kirch/) & *Ecclesia*: Et Ioannes Quintinus Hæduus in Commentario ad Canonem vndecimum Synodi Gangrensis rectè ostendit ex Zonara, particulam ἢ in Græco textu nō esse *disiunctiuam*, sed *coniunctiuam* seu *expositiuam*; addita enim est vox Ecclesiæ, vt tanquam clarior obscuriorem τοῦ κυριακοῦ dictionē explanaret; quidquid contra hoc nitatur Balsamō in explicatione 74. Canonis Trullani.

Est autem *κυριακὸν*, ad verbum, *Dominicum*. Vnde Germani habent voculam suæ linguæ *Dom*, seu *thom*, *thum*, pro templo cathedrali. S. Hieronymus in Chronico. *In Antiochia* Dominicum, *quod vocant Aureum, ædificari cœptum*. Idem. *Antiochiæ Dominicum aureum dedicatur*.

Porro Synodus Trullana transgressoribus hanc pœnam decreuit. *οἱ δὲ τοῦτο ποιεῖν τολμῶντες ἢ παυσάσθωσαν ἢ ἀφοριζέσθωσαν*. *Qui hæc facere audent; aut cessent, aut excommunicentur*. In Carthaginensi quoque Synodo statutum est. *Episcopos, aut Clericos in Ecclesia conuiuari non decet. Nisi fortè necessitate peregrinationis transeuntes, illic hospitentur. Et Laici pariter ab istiusmodi conuiuiis (quantum possibile est) prohibeantur. Cum verò diuertere non licet alio; vel si qua iusta necessitas, aut caussa eo nos adigit, culpa vacamus*, inquit Quintinus in Can. II. Synodi Gangrensis. Et hoc decretum exstat quoque apud Gratianum D.42. *Nulli*.

Videntur autem agapæ non tantum in conuiuiis & epulis, verumetiam in esculentorum & poculentorum distributione positæ fuisse; id enim indicare non abs re credas, illa verba S. Augustini: *Plerunq; in agapibus etiam carnes pauperibus erogantur*. Pamelius in lib. Tertulliani ad Martyres Annot. XXIII. *Huiusmodi agapen*, inquit, Germani *spendam* vocant. Est autem *spenda* vel à *σπένδω*, vel à *dispenso*. Et in hanc sententiam accipit idem Pamelius illud S. Hieronymi. *Cum ad agapen vocauerint, præco conducitur*. Est autem Græcis *ἀγάπη*, *charitas*: quod vocabulum ad epulas istas translatum est, quia charitatis conseruandæ, ineundæ, integrandæ & resarciendæ argumentum erat. Neque tantum ea conuiuia, quæ pauperibus vel præcipuè, vel saltem potissimum præpara-

parabantur, hoc nomen tulerunt; sed & communes ac vulgares Christianorum mensæ hoc nomine afficiebantur. Testis videtur Tertullianus in Apologetico cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est,* &c. *Siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus,* &c. Quamuis, vt verum fatear, non puto Tertullianum loqui de vsualibus & quotidianis cœnis, sed de illis præcipuè, quæ in communi, & maximè in pauperum subsidium apparabantur; quandoquidem subdit: *Post aquam manualem & lumina, vt quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere: Hinc probatur, quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit: inde disceditur non in cateruas cæsionum, neq; in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm disciplinam.* Hæc Tertullianus. Ad quæ rectè annotat Pamelius contra Rhenanum & Magdeburgenses cœnam hanc aliam fuisse à sacrificio Eucharistico, seu *cœna Dominica.*

Quidquid sit de Tertulliano, certè S. Iudas in sua epistola *agapa* vocē pro quacunq; refectione, hoc est, pro vulgari prandio & cœna vsurpare videtur. *οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες. Hi sunt in epulis vestrũ maculæ.*

In libro ad Martyres nominat Tertullianus *agapas* ea, quæ corporis reficiendi caussa mittebantur captiuis Christianis. Audi verba Tertulliani. *Imò & quæ iusta sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, & agapen fratrum.* Vbi agape non præcisè dilectionem, sed esculenta & poculenta significat, quibus Martyres in carceribus, curâ & missu Christianorũ adeo abundabant, vt etiam

Tertullianus, poſtquam à recto tramite auius iuit; hanc largitatem Catholicorum in Martyres, eis exprobrauerit. Vtitur & S. Cyprianus lib. 3. Teſtim. ad Quirinum cap. 3. vocabulo *agapa*, cum ait; *Agapen & dilectionem fraternam religiosè & firmiter exercendam eſſe.* Ad quem locum, quamuis annotet Pamelius, Cyprianum *agapen* accipere pro *charitate*, poterit tamen commodiſſimè etiam accipi pro charitatis effectu ſeu argumento & indicio, nempe pro ſtipe ſeu eleemoſyna pauperibus erogata vel eroganda, ſeu pro conuiuiolo, quod *agapes* nomen iam pridem tulit. Caſſianus apud Turrianum in ſcholiis Apologeticis in cap. 28. libri ſecundi Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis Romani. *Hoc deniq; maiorum noſtrorum definitio habet, qui quidquid ad neceſſitatem quotidiani victus inſumitur, quod opere manum noſtrarum effectum partumq; non fuerit, ad agapen referri debere ſanxerunt.* Vbi *agapen* accipit vel pro eleemoſyna, vel pro conuiuio, quo pauperes & peregrini excipiuntur & reficiuntur.

Origenes lib. 1. contra Celſum. Καὶ βούλεται διαβάλλειν τὴν καλουμένην ἀγάπην τῶν χριστιανῶν πρὸς ἀλλήλους. *Conatur quoq; calumniari eam, quæ Chriſtianorum inter ſe agape appellatur.* Tametſi locus iſte abſolutè de ipſa Chriſtianorum mutua charitate explicari poteſt; nam tanta animorum coniunctio, quanta inter Chriſtianos eluceſcebat, ethnicis non modò admirandi, ſed & calumniandi occaſionem dabat, quod vel ex Tertulliani Apologetico diſcimus.

Paulus Diaconus de Geſtis Longobardorum lib. 1. cap. 26.

Signat adeſſe dapes agapes, ſed liuidus obſtat.

Illud admiratione dignum videri poteſt, quòd Clemens

mens Alexandrinus lib.2.Pædagogi cap.1. ferre noluit, vt huiusmodi *epulæ* nominarentur *agapæ*: *τὰς τοιαύτας δὲ ἑστιάσεις ὁ κύριος ἀγάπας οὐ κέκληκε. Tales epulas Dominus non vocauit agapas*,&c. Quod aliquot allatis ex scriptura exemplis demonstrare tentat; totus in eo occupatus,vt *τῆς ἀγάπης*, sanctum & venerabile *charitatis* nomen, ad prandia & cœnas non transferatur.

CAPVT VI.

De Agapis ante & post sumptam Eucharistiam.



CORONIDIS loco addamus aliquid de *agapis* seu conuiuiis, quæ olim in Ecclesiis & publicis conuentibus ante Eucharistię sumptionem instituebantur; ad imitationem Christi qui & ipse communem cœnam Eucharistiæ institutioni,distributioni & sumptioni præmisit. Quem morem,planum testatumque facit Apostolus scribens ad Corinthios; vt & illud: graues abusus irrepsisse; propter quos consuetudinem hanc meritò sublatam voluit. Audiamus Apostolum. *Conuenientibus ergo vobis in vnum,iam non est Dominicam cœnam manducare.* 1.Cor.11. Et caussam subiungit. *Vnusquisq́; enim suam cœnam præsumit ad manducandum; Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

Reprehendit ergo non modò hoc, quòd se inebriarent; sed & hoc; quòd pauperes & tenuioris fortunæ homines ad epulas illas non admitterent; sed soli omnia esculenta & poculenta absumerent,non tantum ad satietatem,verumetiam vsque ad temulentiam; quod

certè non erat *Dominicam cœnam* manducare; nam in *Dominica cœna* communi & vsuali, quam Christus ante institutam Eucharistiam iniit, nihil simile accidit; neque enim alij esuriebant; alij ebrij erant: Sed omnes æqualiter de cœna illa participabant. Neque alius alium anteuertebat; sed cibos illos non nisi omnibus præsentibus, gustarunt. in quo Corinthios etiam peccasse, liquet ex admonitione Apostoli. *Itaq; fratres mei cum conuenitis ad manducandum, inuicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.* Quasi diceret; si quis fame adeo vrgetur, vt cæteros exspectare nequeat; domi cibum capiat, & famem eximat; vt deinceps in Ecclesia absque debiti ordinis perturbatione, exspectare queat.

Ad reprehensionem illa itidem pertinent. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Itaque absolutè non culpat, quòd in Ecclesia cibos sumerent ad imitationem cœnæ illius, quam Christus cum discipulis suis ante Eucharistiæ institutionem iniit, sed quòd id perperam agerent; cum temulentia scilicet, exclusisque egenis, qui in ruborem dabantur, quòd paria facere nequirent. Desiit tamen postea mos iste, & penitus ex Ecclesia sublatus est; introducta, cõmuni omnium consensu, hac consuetudine, vt Eucharistia non nisi à ieiunis sumeretur. *Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi; nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur,* inquit S. Augustinus Epist. 118. Hæc de cœna ante Eucharistiæ sumptionem.

Nunc

Nunc de illa agape dicamus, quæ in ipsis Ecclesiis, post Eucharistiam sumptam, ab opulentioribus pro egenorum refectione, apparabatur. De qua S. Chrysostomus Homiliâ in illud dictum Apostoli: *Oportet hæreses esse. Ab hac lege & consuetudine inoleuit in Ecclesiis consuetudo quadam admirabilis. Fideles enim omnes in conuentibus suis postquam audissent doctrinas, post preces, post Sacramentorum communionem, solutâ concione, non mox domum properabant, sed diuites & abundantiores alimenta & edulia domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communesq; faciebant mensas, communia prandia, communia conuiuia in ipsa Ecclesia. Atque ita à communione mensæ & pietate loci vndiquaque ad charitatem accendebantur, non absq; summa voluptate, vtilitateq; maxima. Pauperes enim tum fruebantur consolatione, qualis obtingebat; diuites verò fructum beneuolentiæ & ab his, quos pascebant, & à* Deo, *propter quem illos pascebant, assequebantur: sicq; tandem domum redibant. Multa hinc igitur eis proueniebant bona.*

De eadem consuetudine Zonaras in can. 74. Trullanum: ἀρχαῖον ἔθος ἦν, τὸ μετὰ τὴν κοινωνίαν τῶν θείων μυστηρίων, συσσίτια γίνεσθαι καὶ συμπόσια, τῶν πλουσίων χορηγούντων τὰ βρώματα, προσκαλουμένων δὲ καὶ τοὺς πενεστέρους. *Antiquus mos erat, post communionem diuinorum mysteriorum, coëpulationes & compotationes fieri: Diuitibus epulas suppeditantibus, & præterea pauperiores inuitantibus.*

Porro agapen priscam referunt aliquo modo oblationes esculentorũ & poculentorũ panis & vini, & pecuniæ, quæ hodie & in Missa & extra Missam, multis in locis, vsitatæ sunt; & cedunt in subsidium Ministrorum Ecclesiæ; etiam æditorum. De his Marcus Alexandrinus Patriarcha Tom. 1. Iuris GræcoRom. quæstionem istam ad Theodorum Balsamonem attulit: cuius nam

sint

ſint huiuſmodi oblationes. Reſpondit Balſamon, τὰ τρωκτὰ καὶ ποτὰ, *eſculenta* & *poculenta*, quæ iuxta morem ἐν μνήμαις ἁγίων, *in ſanctorum feſtis, & pro mortuorum commemorationibus in templum inferuntur*, καὶ τὰ ὑπὲρ τῶν ψυχικῶν διαθέσεων, (ita lego, pro διαδόσεων, quod ineptiſſimè vertit Interpres, *pro animalibus traiectionibus*; neque aptè corrector Interpretis: *Quæ nomine diſtributionum ſpiritualium*, &c. (vertendum enim; quæ *pro ſpiritualibus neceſſitatibus* ſeu affectionibus & diſpoſitionibus Eccleſiis offeruntur.) Epiſcopis dari κεκωλύσθαι; *Canonibus ſtatutum eſt; vt ab illis diſtribuantur in Clericos, & peregrinos, & alios egenos fratres, prout ipſi iudicauerint.*

Sed iam in ſingulis Eccleſiis notum & compertum eſt, quid ex oblationibus Parocho, quid aliis ſacerdotibus; quid æditiuo, & ſi qui ſunt alij miniſtri, competat. Et hinc etiam elucet bonitas & probitas eius conſuetudinis, qua fideles ſuper *Cenotaphia*, quæ in commemorationibus defunctorum eriguntur, ponere ſolent panem & vinum pro miniſtris Eccleſiæ, vt hoc beneficio excitati pro defuncto ſeu defunctis orent. Quem morem pulchrè comprobat & illuſtrat Turrianus lib. 4. contra Magdeburg. cap. 13. ex cap. 4. Tobiæ, vbi filio præcipit, vt ponat panem & vinum ſuper ſepulturam iuſti: quod eo conſilio fecit, vt qui inde ederent; pro mortuo iuſto orarent. Vnde ſtatim ſubiungit. *Et noli eum comedere & bibere cum peccatoribus*; admonens, vt iis præbeatur panis pro mortuo oblatus, qui ſint Deum timentes ac religioſi, vt eorum orationes pro mortuo exaudiantur. Durat in hodiernum diem, inquit Turrianus, per multas Catholicorum Eccleſias in Hiſpaniis & Galliis hæc religio & pietas ponendi ſuper ſepulturas panem & vinum, in vſum ſacerdotum, vt pro mor-

mortuis orent. In Germania certè hoc facere perquam vſitatum eſt.

In Canone ſecundo ex illis, qui Apoſtolorum nomine exſtant; prohibetur, ne Epiſcopus vel Presbyter ad altare offerat & adferat mel vel lac, vel pro vino ſiceram, vel aues, vel aliqua animalia; vel legumina, prę-terquam nouas ſpicas frumenti opportuno tempore. (Ita enim vertit Turrianus, quod Græcè eſt, *πλὼ νέων χίδρων τῷ καιρῷ τῷ δέοντι,*) *aut vuam.* Sic Turriani & Haloandri exemplaria habent; quod in aliis editionibus deeſt. Oleum tamen ad lumina ſanctorum lychnorũ, & thymiama ſeu incenſum in tempus diuinæ oblationis admittuntur. *Omnis autem alius fructus domum mittatur, primitia Epiſcopo & Presbyteris, & non mittantur ad altare:* inquit Canon.

Trullana quoque Synodus can. 57. vetuit *oblationem mellis & lactis ad altare.* Et fuerunt cauſſæ talia ſanciendi.

Poſteris tamen temporibus pleræque oblationes, in ipſis Eccleſiis fiunt; ſiue in altari, ſiue alibi; Et aliquando dum ſacrum peragitur; aliquando extra Miſſam. Nec populus fidelis & pius à ſuo zelo retardandus eſt, quantum ſalua honeſtate & integritate fieri poteſt.

In eodem Trullano Concilio can. 28. abrogatur mos diſtribuendi cum Euchariſtia particulas de vua tempore Liturgiæ ad altare allata. Verba Canonis ſunt: *Quoniam in diuerſis Eccleſiis intelleximus, vua ad altare allata, & quadam, qua inualuit, conſuetudine, miniſtros, poſtquam hanc incruento oblationis ſacrificio coniunxerint, vtraque ſimul populo diſtribuere; ſimul etim decernendum eſſe perſpeximus, vt nullus ſacerdos hoc amplius faciat, ſed ad viuificationem & peccatorum remiſſionem ſolam oblationem*

Z popu-

populo impertiat: tanquam primitias autem vua allationem existimantes, sacerdotes eam seorsim benedicentes, petentibus poterunt impertire, ad fructuum datoris gratiarum actionem. Notat autem Balsamon in can. 3. Apostolorum Patriarchas Constantinopoli in templo Blachernarum festo Assumptionis, seu, vt Græci vocant, obdormitionis, Deiparæ Virginis, post peractam Liturgiam obtulisse vuas ad altare. Et hæc de oblationibus.

CAPVT VII.

Quorsum animæ defunctorum ex Lutheri doctrina deferantur.

VIDIMVS, quorsum deferantur tam Catholicorum, quam hęreticorum, cadauera. Nunc videndum, quo animæ migrent. Et Catholici quidem nō dubitant, animas ab omni scelere scelerisque reatu immunes, statim ad cœlestem beatitudinem euolare: Animas impiorum, ad æterni ignis supplicia amandari: Animas infantum, quos salutifera Baptismatis vnda non abluit, propriæ sedi, quā *limbum* appellant, destinari. Animas leuioribus culpis inquinatas, vel pœnæ alicui temporali persoluendę adhuc obnoxias, in Purgatorium mitti, vt ibi à maculis omnibus expurgentur, tandemq; expurgatę in beatorū domicilium cooptentur. Hæc orthodoxorum sententia est.

Quid Nouatores, eorumque antesignanus Lutherus? Mira, prorsus mira; & fermè inaudita. Animas mittunt in regionem glirium, vt ibi dormiant, vel etiam vsque ad nouissimum diem stertant: id vt Lutherus

rus commodius efficiat; Primùm demolitur, vel demoliri ſtudet ea animarum receptacula, quæ Catholici ſtatuunt. *Papa fingit quatuor ordines mortuorum*, inquit Lutherus. *Primus eſt infernus damnatorum. Secundus, purgatorium. Tertius, infantium non baptizatorum. Quartus eſt limbus Patrum, in quo verſati ſunt pij ante reſurrectionem* CHRISTI. *Hæc mera ſomnia ſunt, & figmenta humana.* *Luth. in ca. 50. Geneſ. Tom. 6. Lat. VVitteb.*

Vt de tribus poſterioribus locis ſileam, dic, Luthere, eſtne tibi *Infernus*, damnatorum ſedes, *merum ſomnium, & figmentum humanum?* Ita profectò ſentis, & quidem apertius, quàm neceſſe ſit. Qua de cauſſa? *Quia Petrus & Paulus clarè affirmant Dæmones verſari in aëre.* *2. Pet. 2. Epheſ. 6.* Num omnes? Num ſemper? Num vt in inferno? Etſi enim, vbicunque Dæmones ſunt, pœnas *inferni* ſecum circumferunt; non tamen vbicunque ſunt, in loco inferni ſunt, alioqui ſequeretur Diabolos, quando erant in domo Lutheri, fuiſſe in *inferno*; & ſic Lutheri domum *infernum* fuiſſe. Quod num Lutherani libenter conceſſuri ſint, ambigo.

Quanquam locus S. Petri à Luthero citatus nihil de aëre dicit; Sed hoc tantummodo; *Deum Angelis peccantibus non pepercisse, ſed rudentibus inferni in Tartarum detractos in iudicium reſeruari.* Certè *Tartarus*, etiam apud profanos ſcriptores, non aëream plagam, ſeu aëris regionem, ſed locum ſubterraneum ſignificat, qualem Catholici pro impiorum ſuppliciis ſtatuunt.

Cur verò, ô Luthere, omiſiſti quintum receptaculum, quod orthodoxi iuſtorum animabus, aſſignant, nempe cælum? Sed hanc ſuã oſcitantiam excuſatũ iri credebat, eo quod inter animarum receptacula cœlum

Z 2 nume-

Digitized by Google

numeraſſet in caput 25. Geneſeos, vbi tamen limbo Patrum hanc appendicem appendit. *In nouo Teſtamento addiderunt Paradiſum, propter dictum Christi*: Hodie mecum eris in paradiſo. At ex hoc loco nemo rectè ſentientium & intelligentium nouam ſedem pro animabus architectatur; quia norunt hîc *paradiſi* nomine cœleſtem gloriam denotari, qua Christus latronem, etiam in terræ viſceribus, hoc eſt, in limbo Patrum, verſantem, donauit ac beauit: Et vt maximè locus iſte de paradiſo terreſtri acciperetur, non tamen ordinariis animarum habitaculis propterea accenſeri deberet, quia paucorum duntaxat dierum ſancti illius Latronis habitaculum fuiſſet.

Vt autem Lutherus in cap. 49. Geneſeos diſtinctionem horum locorum vocauit, *merum ſomnium & commentum humanum*; ita in cap. 24. eiuſdem Geneſeos eandem diuiſionem, nominat *ſtultitiam Papiſticam*: Et addit: *Hiſce nugis repleuerunt Eccleſiam, & orbem terrarũ. Nos radicitus iſta omnia euertimus.* Radicitus ergo euertit Lutherus *infernum.* Radicitus euertit cœlum: quia inter *iſta omnia*, quæ à ſe & ſuis radicitus euerſa gloriatur, etiam infernus & cœlum continentur. Felices Lutherum & Lutheranos, qui ſibi ab inferno tantam immunitatem pepererunt; ſed miſeros, cum nullius cœli, vtpote *radicitus euerſi*, indigenas ſeſe fore ſperare amplius poſſunt; niſi fortè dicant, vt quidem dicendum videtur, Lutherum, nouum cœlum, nouumque infernum exædificaſſe, ſed *Vbique* diffuſum, ſeu *Vbiquetarium*, non vni certo loco affixum, vt faciunt iam eius poſteri Brentiani & *Concordiſtæ* Smideliani. De eadem receptaculorum quadruplici vel quintuplici diſtinctione; fermè eadem nugatur & fatuatur Lutherus in capi-

tis

tis Quadragesimi secundi Geneseos commentario, qui propemodum quantus, quantus est, nil nisi inepta battologia, & eiusdem calumniæ ac inscitiæ repetitio est: Iam enim à suo cœlo non procul dissitus, cum commentitium illum commentarium commentaretur, indies magis atque magis Battus, hoc est, eiusdem cantilenæ seu neniæ repetitor efficiebatur.

Verumenimuero cum Luthero vetera animarum habitacula non placeant, videndum est non modò diligenter, sed & curiosè, quæ nam ipse pro suorum animabus arte noua fabricauerit. Sed ab anxia inquisitione liberat nos ipse Lutherus; qui in cap. 42. Geneseos locum, in quem animæ corporibus solutæ deueniunt, ait nominari *Scheolah*, locum autem in quem cadauer infertur, vocari *Keuer* seu *Kefer*; & vt hunc, ita & illum, tam piis, quam impiis esse communem. Audiamus mirissima Lutheri verba. *Necesse est aliud esse* KEVER, *&* *aliud* SCHEOLAH; *Sicut autem* KEVER *pro sepulchro, commune est tam piis, quàm impiis, ita &* SCHEOLAH. *Hæc certa res est* (nemo dubitet, αὐτὸς ἔφα) *& petita ex vsu sacrarum literarum*, &c. *Et hæc rectè distinguuntur, ita vt* (KEVER) *sepulchrum, sit locus, in quo corpus, ossaq́; demortuorum reconduntur, certo tempore, certa persona & loco.* SCHEOLA *autem commune quoddam receptaculum non corporum tantum, sed & animarum, vbi omnes mortui congregantur.*

Sunt igitur animæ in Lutherano SCHEOLAH, vbi omnes congregantur, sicut in *armilustrio*, quod vocant. (als wie auff einem Musterplatz.) *In quo non est differentia locorum, temporum, personarum* (quia omnes sunt eiusdem sortis & ordinis) *quo descendunt etiam hi, qui carent sepulchris.* (Miror Lutherum, poëtico more, pro

 his

his non nouum aliquod *Scheolah* conſtruxiſſe.) *Eſt locus communis, ſi modo locus dici debet, non pro corpore, ſed pro anima.* Ergo Lutherus etiam abiit ad illud ſuum *Scheolah*, quandoquidem locus communis eſt, à quo nemo excipitur.

Sed vbi iſte locus? *Chaos iſtud nobis eſt incognitum,* inquit Lutherus. En tibi animæ, ex Lutheri doctrina, qualeſcunque illæ ſunt, abeunt in *Chaos*, hoc eſt, in locum, vbi nullus ordo, ſed rudis & indigeſta moles. Lutherus tamen ſatis indicat, locum hunc eſſe infra nos; quia dicit animas in iſtud *Scheolah*, deſcendere. Qui deſcenſus locum non haberet, ſi SCHEOLAH ſupra nos, hoc eſt, in aëre, aut in æthere eſſet.

Quid ergo *Scheolah*, quandoquidem ſcire nequit Lutherus, vbi ſit? *Propriè & definitiuè Scheolah, locus vel receptaculum eſt animarum.* At qualis iſte locus? *Hoc infinitis Quaſtionibus à veteribus diſputatum & quaſitum eſt.* Fumos vendis, Luthere; nemo veterum de hoc tuo, *Scheolah*, prout à te depingitur, cogitauit. Addis. *Nobis hac differentia ſufficiat, quod ſicut corpus ſeruatur in terra: ita anima reſoluta venit in ſuum* SCHEOLAH. *Nec traduntur diuerſa* SCHEOLAH *piorum & impiorum.* Omnes ergo animæ tam piorum, quam impiorum in eodem ſunt receptaculo ſeu hoſpitio.

Nec dicere debent Prædicantes, cum ſolatij cauſſa moribundis adſtant: Bóno animo eſto. In cœlum & cœleſtem beatitudinem recipietur anima tua, ſimul atque ex corporis huius ergaſtulo exierit; ſed potius hunc in modum orationem inſtituent: Bono animo eſto, paulò poſt deſcendes in *Scheolah*, in locum omnibus

bus tam piis, quam impiis communem. Si quærat moribundus: Vbi nam ille locus? Respondendum erit; *hoc nobis esse incognitum.* Si iterum rogitet: Qualis sit ille locus? Respondebitur cum Luthero in caput 49. Geneseos. *Qualis sit locus ille, nemo potest dicere.* Insuper & hoc addet. *Quomodo vocetur, aut qualis ille locus sit, nemo nouit; sed certum est, appellari & esse populum.* Si nemo nouit, quomodo locus ille appelletur, cur ergo tu appellas *Scheolah*? Cur pro certo affirmas, appellari & esse *populum*? Vbi verò iste populus? Respondet Lutherus: *Vbi populus iste sit, nescimus.*

Et quid opus multis Quæstiunculis? *Quis aut qualis locus sit, nobis non constat*, inquit Lutherus in cap. 49. Geneseos. *Vacca & boues non habent locum, ad quem colliguntur, sicut sancti; tametsi illum, in hac vita ignoramus, vt & pleraque alia nescimus. Collectus est*, inquit Moses de Abraham, capite 25. Geneseos, *ad populos suos. An ergo adhuc restant populi post hanc vitam? Hæc verba Spiritus sancti neutiquam otiosa sunt, nec dicuntur bestiis, quæ non eunt ad patres & populos suos*, inquit LVTHERVS in caput 25. Geneseos.

Appellatur etiam Lutheranum hoc *Scheolah*, seu *Chaos*, quo omnes animæ migrant, *sinus Abrahæ*; licet non qua impiorum, sed qua piorum animas excipit. *Sinus Abrahæ*, inquit Lutherus in caput 49. Geneseos, *est locus ille, in quem recepti sunt omnes iusti post mortem.*

Quanquam cum in cap. 42. Genes. Lutherus scribat, omnes tam pios, quam impios in eundem locum *Scheo-*

Scheolah appellatum descendere; non potest, nisi per antilogiam sibi consuetissimam, iustos & iniustos sedibus discriminare. Cum enim, vt in cap. 42. disertissimè asseuerat, iusti & iniusti sint in eodem loco seu *Scheolah*, iustorum autem locus seu *Scheolah* sit & vocetur *sinus Abrahæ*, vt ait in cap. 49. oportet, vt aut fateatur iniustos quoque & impios in *sinu Abraha* esse, cum sint in eodem *Scheolah*, & per consequens, diuitem illum epulonem, cum Lazaro in sinu Abrahæ fuisse, aut se nunc euertere, quod antea de eadem piorum & impiorum sede in caput 42. tradiderat. Sed nihil insuetum vides, quando Lutherum sua vineta cædentem vides.

Sicut in Ecclesia, inquit Lutherus, *dicimur colligi ad populum nostrum per baptismum*, &c. *ita morientes in promissione Christi facta Abrahæ, transferimur per Angelos in sinum Abrahæ, siue ad populum nostrum.* Manet ergo adhuc sinus Abrahæ. At hoc, quod affirmat in cap. 49. id negat in cap. 25. Geneseos. *Non rectè facimus*, inquit Lutherus, *si seruamus sinum Abrahæ in nouo testamento. Sicut enim ante mortem Abrahæ, non fuit sinus Abrahæ, ita nullus amplius est post Christi aduentum. Non facio igitur hoc tempore sinum Abrahæ, nec sentio vllum locum esse, in quo, tanquam gremio, nos amplectatur Abraham.* Et tamen in caput 49 apertè dicit, iustos transferri in sinum Abrahæ; cum quibus, quî, quæso, cohærent iam dicta ex cap. 25. & hæc itidem sequentia? *Abrahæ sinus post resurrectionem Christi destructus est, & successit melior sinus, scilicet Christi; quando enim emigramus ex hac vita, rapimur in Christi sinum.* Item. *Post hanc vitam in sinum Christi nati, passi, crucifixi & resuscitati pro nobis colligimur, nihil solliciti amplius de sinu Abrahæ.* En quàm sinum Abrahæ hîc exterminet, in quem tamē postea omnes iustos

trans-

Digitized by Google

transferri scribit. Quomodo transferentur in hunc sinum, si sinus iste iam destructus est? Vtrumque tu asseris, nihil sollicitus, quomodo simul consistant.

At dispiciamus, quis sit iste sinus Christi, in quem iam transferuntur iusti. Id nobis in cap. 42. Genesceos pulchrè explicas. *Habent pij infernũ, in quem descendunt; sed vt requiescant in eo.* Ex quo sequitur, infernum, in quem pij descendunt, *esse sinum Christi. Scriptura ait sanctos & iustos transire in suum Scheolah*, ergo *Scheolah* est sinus Christi. Et vice versa, sinus Christi, *Scheolah*; & *Scheolah* est *Chaos*, & communis omnibus locus tam iustis, quam iniustis, vt in cap. 42. asseritur, ergo sinus Christi est *Chaos*, & locus ram piis, quam impiis communis, licet Lutherus aliquando nonnihil discriminis in qualitate & conditione statuat.

Quàm verò hæc dissonant ab illis, quæ Lutherus antea effutiuerat in concione super Euangel. de *diuite epulone, & mendico Lazaro*, vbi, more prorsus Epicuréo, Tartareas flammas diuitis epulonis, refert ad morsus & cruciatus conscientiæ, quibus sub extremam vitæ horam scelerati & flagitiosi homines excarnificari solent; tantum non versus illos Lucretij concinens:

Exstat in Postilla Germanica, quam vocant, die Kirchen Postill.

Cerberus & Furiæ, iam verò & lucis egenus
Tartarus horrificos eructans faucibus æstus,
Hæc neq; sunt vsquam, neq; possunt esse profectò.
Est insignibus insignis, scelerisq; luela
Carcer & horribilis de saxo iactu' deorsum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ
Quæ tamen, etsi absunt; at mens sibi conscia facti
Præmetuens, adhibet stimulos, torretq; flagellis.

Hanc autem Epicuream suam opinationem colligit Lutherus ex illis de diuite epulone verbis: *Et sepul-*

tus est in inferno. Hoc, ait Lutherus, *intelligi nequit de vero inferno, qui post nouissimum diem demum inchoabitur: quia cadauer diuitis epulonis sine dubio non in inferno, sed in terra sepultum est. Oportet ergo locum esse, in quo anima versetur, & nullam quietem capiat. Sed hic locus non potest esse corporeus.*

Ecce hic habes perspicuam abnegationem inferni & cœli realis & localis; quia expressè negat Lutherus, animam posse esse in loco reali. Vbi ergo erit, quando ex corpore exierit? Num extra hanc rerum vniuersitatem in immensum illud inane; quod supra supremum cœlum infinitè protenditur, euolabit? Et si anima in loco corporeo esse nequit; quomodo est in corpore humano? tametsi enim non est in corpore, vt in loco, est tamen in corpore, vt in subiecto informationis, quod ipsa animat, vegetat, viuificat? Et quæ nam hæc est non consequentia, sed stultitia? *Locus, in quo anima Epulonis erat, eiusmodi esse debet, in quo anima sit, & omni requie careat. Ergo locus iste in quo anima Epulonis fuisse dicitur Luca 16. non potest esse corporeus?* Et propterea nomine *inferni accipienda est mala conscientia.* Si anima neque esse, neque cruciari potest in loco corporeo, iam ergo nullus est corporeus infernus, in quo Dæmones & animæ corporibus exsolutæ torqueantur; sed omnis cruciatus, quem perpetiuntur, erit malæ conscientiæ remorsus, seu vellicatio, &, vt sacræ literæ appellant, *vermis.*

Quanquam Lutherus hæsitat, nec definire vult, vtrum Epulonis anima, cruciatum conscientiæ, quem, Luthero iudice, in corpore senserat, secum absportauerit, eidemque tormento etiam extra corpus, subiecta fuerit: an vero Epulonis istius *infernus*, seu infernalis

lis cruciatus, tantum in extrema illa horâ & luctâ durauerit; dum nimirum vidit & exhorruit se sine fide, & verbo in incredulitate mori; & ex consideratione huius rei iis doloribus, angoribus & ærumnis miser iste Epulo perculsus est; quibus post extremum diem iudicij sempiternis flammis addicti percellentur.

Vt autem Luthero infernus tam Epulonis, quam aliorum, in *Homilia* seu *Concione* de diuite Epulone & egeno Lazaro tantum est conscientiæ malæ horror & carnificina; ita è contrario sinus Abrahæ ei nihil aliud est, quam bona conscientia, & voluptas, qua homo perfunditur, cum in fide Christi & promissionum, quas vniuersis in se credentibus fecit; ex hac vita migrat: additque Lutherus, tales vi huius fidei in sinum Christi recta, & sine vlla remora transferri, & in eo, vsque ad nouissimum iudicium suauiter *pausare* & dormire, exceptis tamen illis, quos Matthæus cum Christo resurrexisse testatur, si non denuò in fata concesserunt. Itaque in Lutheri schola, cœlum nihil est aliud, quam profundus somnus, dulcis tamen, & sine vlla molestia; neque enim ad soporatas hasce animas *Phantaso* aut *Morpheo, Somni* administris, aditus aperitur. Fit hic, quod de Venere & Ascanio canit Virgilius.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci adspirans complectitur vmbra.

Habes igitur hîc rursus vnum nouum *Scheolah*, quo ex Lutheri disciplina, animæ abeunt, nempe; malam & bonam conscientiam, & vtriusque effectus, illius quidem, cruciatus & ærumnas; huius, gaudium, exultationem, & merum purumq; iubilum. In priore illo *Scheolah*, nimirum in mala conscientia, eiusque angoribus; sepeliuntur impij sub articulum mortis; iuxta illud Lucæ 16. *Sepultus est* epulo *in inferno*, hoc est, in mala conscientia, eiusque afflictionibus & ærumnis: In altero autem *Scheolah*, sepeliuntur boni, iuxta illud *Lazarus portatus est ab Angelis in sinũ Abrahæ*; hoc est, Lazarus ingenti consolatione sub tempus mortis, perfusus est, eo quod videret se mori in fide promissionis illius Abrahamo factæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Cæterum, cum in ista duo *Scheolah*, videlicet in angores malæ conscientiæ, & in voluptatem & gaudium bonæ conscientiæ, animæ descendant, atque adeo in iis sepeliantur, antequam ex corporibus excedunt, minus facere non poterit Lutherus, quam vt aliud vel alia *Scheolah* nobis monstret, ad quæ animæ deferantur, postquam corpora reliquerunt. Quod non grauatè faciet Lutherus. Mittet enim nos ad commentarium suum in cap. 42. Geneseos, vbi de *Scheolah*, hoc est, de receptaculis animarum ex corporibus solutarum, acutissimè disputatur, vt supra etiam vidimus, allatis non paucis ex prædicto commentario.

At hic nouus nascitur scrupulus. Nam si anima nequit esse in loco corporeo, vt in illo existat, quietemque vel cruciatum capiat, necesse erit, vt Lutherus ista *Scheolah* sua constituat extra hanc rerum vniuersitatem supra extimum cœlum, in imaginario illo inani seu spatio, quod mente & cogitatione efformamus: Nam

 quo-

quocunque intra vniuersitatem hanc cum suis *Scheolah* veniat, semper locum corporeum inueniet, in quo anima existere non poterit. Verum vbicunque tandem sint ista *Scheolah*, hoc est, animarum habitacula, illud nō iniuria ex Luthero perconteris, quomodo anima ad ista *Scheolah* transferri queat, si non potest esse in loco corporeo: quia necesse est, vt in ista translatione transeat per loca corporea. At mittamus ista spinosiora.

Illud potius, & quidem non obiter, sed oculis attentis, videamus, quid animæ in suis *Scheolah* à Luthero feliciter conditis agant: quamue vitam ducant, vt iam nunc ad sedes illas beatas, insulis fortunatis longe fortunatiores omnibusque campis Elysiis lætiores & iucundiores inardescamus, & cum Horatio nos mutuo cohortemur.

Nos manet Oceanus circumuagus; arua beata
Petamus, arua, diuites & insulas:
Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis
Et imputata floret vsq; vinea, &c.
Mella caua manant ex ilice; montibus altis
Leuis crepante lympha desilit pede, &c.
Pluraq; felices mirabimur, &c.
Iuppiter illa pia secreuit litora genti,
Vt inquinauit ære tempus aureum, &c.

Nec quis me reprehendat, quod *Scheolah* sub eadē positura seu terminatione in omni numero, & genere neutro vsurpo; quia imitor Lutherum, cui *Scheolah* est indeclinabile, vt *Nequam*, & modò fœmininum, modò neutrum.



a 3 CAPVT

CAPVT VIII.

Quid animæ in Lutheranis SCHEOLAH *seu receptaculis agant.*



CALLIMACHI *Epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est*, inquit Marcus Tullius lib. 1. Tuscul. Quæst. *quem ait, cum nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro* de immortalitate animæ. Vereor, ne idem eueniat, si ex ipsius Lutheri libris reuelem, quantis voluptatibus, quantis deliciis, quantis illecebris, quantis iucunditatibus & opimitatibus illa *Scheolah* seu habitacula, in quæ animæ migrant, circumfluant. Erunt fortè, qui nimio desiderio tantæ faustitatis & beatitatis inflammati seipsos acerbo funere mergant, & fila vitæ ante diem abrumpant.

Sed præstat, nil dissimulare: Rem itaque apertè omnium oculis subiiciemus, & quanta bonorum omnium copia animas corporibus egressas maneat, fideliter explicabimus. Quid igitur agunt animæ in illis *Scheolah* seu tabernaculis capite superiore descriptis? Nihil agunt; sed dormiunt: aut si quid agunt; *somnum agunt*; & cum Endymione, quem Luna in Latmo, monte Cariæ, consopiuit, certant, quisnam melius ingenium dormiendi habeat; seu quis ex continuato & perpetuato somno palmam reportaturus sit. Itaque animæ; quando hinc emigrant cubitum seu dormitum vadunt, vt glires, quando appropinquat hyems. Et hoc Lutherus statim in exordio sui Euangelij à spiritu suo familiari edoctus docuit; Nam Anno Redemptoris

ris M. D. XXII. in octaua Epiphaniæ hæc ad suum Amsdorffium rescripsit. *De animabus tuis non satis habeo, quod tibi respondeam.* (Quia nondum fuerat perfectè illuminatus) *Procliue mihi est concedere tecum in eam sententiam, iustorum animas dormire, ac vsque ad iudicij diem, nescire, vbi sint.* Ergo & Amstorffius fuit *Dormitantius* seu *Dormilius*; & ne solus esset; Lutherum quoque in suum *Dormitorium* asciuit.

Pergit Lutherus. *In quam sententiam me trahit verbum scripturæ: Dormiunt cum Patribus suis. Et mortui resuscitati per Christum & Apostolos, idem testantur, cum velut à somno euigilarunt, ignari, vbi fuerint. Accedunt huc & ecstases sanctorum multorum. Nec habeo, quibus hanc sententiam subuertere possim.*

Sed Lutherus stoliditatem hanc facilè subuertisset, si caput vndecimum Euangelij S. Ioannis inspexisset, inspectumque nonnihil perpendisset. Inde enim manifestè liquet; *dormire* idem esse, quod *mori*, vel mortuum esse; & somnum idem, quod mortem. Ibi namque Dominus ait, *Lazarus amicus noster dormit; sed vado, vt à somno eum excitem.* Quid his verbis aliud Dominus indicare voluit, quam, *Lazarus amicus noster mortuus est, sed vado, vt à morte eum exsuscitem?* Quod & Euangelista ostendit, subiungens ista. *Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem IESVS de morte eius; illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.* Vbi clarè vides somnum esse *mortem*; & dormire, *mori*, imo & mortuum esse: Et hoc ad totum compositũ, vel ad corpus, non autem ad animã referri debere; nam homo dicitur mori, vel mortuus, nõ anima; corpus dicitur mori, vel mortuũ; nõ anima; ergo

ergo vt *mors* & *mori* ad ſolum totum compoſitum, vel etiam ad corpus ſolum referuntur, non autem ad animam; (niſi fortè in Lutheri ſchola *ſomnus* & *dormire*, hoc eſt, *mors* & *mori* animæ competat, quod non fruſtra ſibi perſuaſerunt Anabaptiſtæ & Libertini, ſomnum hunc Lutheri, de ipſa animæ exſtinctione interpretati) ita etiam *ſomnus* & *dormire* ad ſolum compoſitum, vel ad ſolum corpus pertinebunt, quandoquidem ſunt ſynonyma. Quare cum in ſacris literis hi vel illi cum patribus ſuis dormire dicuntur; nihil aliud ſignificatur, quam hos vel illos eſſe mortuos æquè ac maiores ſuos; & iam mortuos, & quaſi ſomno ſecundum corpora ſopitos, exſpectare in eodem cubiculo terræ, omnibus communi, communem excitationem, quæ tunc erit, quando anima in corpus reformatum & reconcinnatum reuertetur.

Itaque ſomnus iſte non niſi vel impiè vel ſtultè animabus attribuitur; Impiè ſi ſomnus tribuatur animæ prout mortem denotat, cum anima ſit immortalis: Stultè verò, ſi animæ adſcribatur ſomnus, prout ſomnus pro ea affectione accipitur, qua ſenſus corporis ligantur, & actiones præpediuntur; ita vt quis, quid rerum agatur, neſciat. Nec animæ in ſcriptura; ſed homines, qui moriuntur vel mortui ſunt, & corporibus ſuis in ſepulchris, tanquam in lectis, dormientes, generalem reſurrectionem præſtolantur, *dormire* vel *dormiuiſſe* dicuntur; ſimilitudine ducta à ſomno corporis, quē ita quis init, vt non dormiat perpetim, ſed horâ præſtitutâ denuo euigilet, & ad ſolitas functiones redeat.

Præterea, vnde ſcit Lutherus, Lazarum, & alios à Chriſto, Apoſtolis, aliiſque ſanctis excitatos, nihil ſciuiſſe, vbi fuerint, quid viderint, quo peruenerint? Certè ſcri-

ſcriptura nihil de hoc tradit: Et exſtant exempla eorum, qui vel verè mortui, vel in exſtaſin rapti, mira retulerunt, vt ſatis appareat, eos, Endymionis inſtar, conſopitos non fuiſſe. Nec ſuo in raptu S. Paulus dormiuit, quia vidit & audiuit ineffabilia, vt ipſemet teſtatur, licet neſcierit, num in corpore, an extra corpus arcana illa audiuiſſet. Nec ſequitur, animam *dormiſſe*, ſi ad corpus reuerſa, ignoret, vbi fuerit, aut quid viderit, audiueritue; quia fieri poteſt, vt ex peculiari diuinæ prouidentiæ lege & cauſſa, nihil viderit vel audiuerit, vel corpori reſtituta omnia obliuioni tradiderit. Equidem mihi perſuadeo, ſi vel ipſe Lutherus, ex ſuo *Scheolah* ad nos hodie remearet, ſatis multa narraturum; & quod ab hora mortis ſuæ non dormiiſſet, ingenuè confeſſurum.

Sed nimium à linea euagor. Audiamus denuò *Dormitantium* noſtrum. *Dormiunt ſancti molliter & tranquillè. Et cum egrediemur ex hac miſera vita, ſuauiter agonizabimus, & congregabimur ad populum noſtrum, vbi non calamitas, non tribulatio, non afflictio, ſed pax & quies & ſomnus placidus in Domino eſt.* Luth. in ca. 29. Geneſ.

Contra luctum opponendum eſt id, quod ſequitur: Tranſiuit in requiem. *Cauſſa luctus, eſt lucis exſtinctio; cauſſa ſolatij, requies. Requieſcat in pace, cogitabis, Scio enim, quod bene habet; non eſt in triſtitia, aut calamitate, ſed in quiete. Ibi dormit, & exſpectat meliorem vitam. Conſolatio igitur noſtra eſt, quod coniunx, filius, parentes, dormiunt, non hærent in pœnis & cruciatibus, ſed in pace ſuauiter acquieſcunt.* Luth. in ca. 23. Geneſ.

Alibi Lutherus, *Eris hodie mecum in paradiſo*, hoc eſt, *liber à peccato, & ſecurus à morte, niſi quòd illa extrema dies exſpectanda eſt, cum reuelabuntur iſta*, &c. *vt ſit quaſi allegorica* Luth. in cap. 2. Geneſ.

Digitized by Google

gorica paradisus; sicut scriptura etiam appellat sinum Abrahæ, non pallium Abrahæ, sed allegoricè illam vitam, quæ est in defunctis animabus in fide. Habent enim pacem & quiescunt, & exspectant in illa quiete futuram vitam & gloriam.

Luth. in cap. 9. Eccles. Tom. 4. Lat. Witeb. Alibi idem Lutherus. *Salomon sentire videtur, mortuos sic dormire, vt prorsus nihil sciant. Et planè credo non esse in scriptura locum fortiorem pro mortuis dormientibus & nihil intelligentibus rerum nostrarum*, &c. Paulò post. *Describit* (Salomon) *mortuos, vt insensata cadauera.*

Luth. in cap. 42. Genes. *Ex scriptura sancta liquet, quod sancti secundum corpora vadunt in* Kefer, *sicut Abraham, in Agro Ephron, è regione Mambre sepelitur. Secundum animā verò ingrediuntur cubicula sua, in Scheolah, vbi congregantur cum Patribus suis. Ac habent quidem pij infernum, in quē descendunt, sed vt requiescant in eo* (Lutherani ergo non ascendunt in cœlum, sed descendunt in infernū) *Atq; adeo nihil aliud est descensus iste piorum, quam mutatio huius vitæ in alium statum, vbi amplius non viuitur sub sole, & super terram, sed relicta hac vita intrant in cubiculum, siue stratum suum, in quo dormiunt & requiescunt, donec corpus & anima rursus copulentur in futura & æterna vita.*

Ibid. *Moses & Helias cum Christo in monte colloquuntur. Vnde apparet eum, omnes istos sanctos habere in manu & potestate sua, & esse Deum ipsorum. Dormiunt verò & quiescunt, sicut de omnibus piis constat; ita, vt possit eos Christus excitare, quandocunq; ipsi libitum fuerit.*

Luth. in ca. 25. Genes. *Iam verò nascitur alia quæstio*, inquit Lutherus, *cum certum sit viuere & esse in pace animas, qualis illa vita aut quies sit. Hæc verò sublimior & difficilior est, quam vt à nobis possit definiri. Deus enim noluit id à nobis cognosci in hac vita. Sufficit igitur nobis hæc cognitio, non egredi animas ex corporibus*

ribus in periculum cruciatuũ, & pœnarum inferni, sed esse eis paratum cubiculum, in quo dormiant in pace.

Sæpè mihi venit in mentem, inquit Lutherus, *non posse nos hæc assequi & intelligere, cum nequeamus capere, quomodo viuat homo in hac vita, quando dormit. Nisi enim assiduitate, & vsu quotidiano assueuissemus somno, æquè ac mortem ipsam exhorresceremus. Siquidem nihil aliud est somnus, quã quædam veluti migratio ex hac vita, vt nescias vbi, aut qui sis. Dum viuo, non dormio; sed animo præsenti sum, & incedo vigilans, & erectus. Cum verò somnum capio, me ipsum, & locum vbi sim, ignoro, & videor in aliud vitæ genus translatus. Iam quia vsitata res est somnus, nemo ab eo abhorret, sicut ad conspectum, aut mentionem alicuius inusitati & horribilis morbi expauescere solemus, qualis est epilepsia; qua correpti homines, etiam omni sensu & motu huius vitæ destituuntur, imò in aliam vitam descendisse videntur, adeò, vt siue igne adusti, siue in vndas mersi, prorsus nihil sentiant, nihil videant, neq; audiant, ideoq; Epileptici viuentes mortui sunt.* Luth. in ca. 42. Genes.

Nobis satis est scire, ait Lutherus, *quod sancti in veteri Testamento mortui in fide Christi venturi, & pij in nouo Testamento defuncti, in fide Christi exhibiti colligantur ad suum populum. Qui verò, aut qualis locus sit, non nobis constat; certum est, non esse malum; nec torqueri eos vllis cruciatibus, sed quiescere in gratia* DEI. *Quemadmodum dormiunt suauiter in hac vita, & sunt in protectione* DEI, *& Angelorum, neq; vllum periculum pertimescunt, etiam in medio diabolorum constituti. Ita, post hanc vitam iustorum animæ sunt in manu* DEI, *sicut dicitur Sap. 3. Modum autem quietis illius, nemo vnquam sciuit, exceptis illis, qui cum Christo resurrexerunt, aut ab ipso resuscitati sunt, vt Adam, Heua, Noah, Abraham, & alij, item filius Viduæ in Naim, & filia Archisynagogi,* Luth. in ca. 49. Genes.

Habes igitur hîc rurſus vnum nouum *Scheolah*, quo ex Lutheri diſciplina, animæ abeunt, nempe; malam & bonam conſcientiam, & vtriuſque effectus, illius quidem, cruciatus & ærumnas; huius, gaudium, exultationem, & merum purumq; iubilum. In priore illo *Scheolah*, nimirum in mala conſcientia, eiuſque angoribus; ſepeliuntur impij ſub articulum mortis; iuxta illud Lucæ 16. *Sepultus eſt* epulo *in inferno*, hoc eſt, in mala conſcientia, eiuſque afflictionibus & ærumnis: In altero autem *Scheolah*, ſepeliuntur boni, iuxta illud *Lazarus portatus eſt ab Angelis in ſinũ Abrahæ*; hoc eſt, Lazarus ingenti conſolatione ſub tempus mortis, perfuſus eſt, eo quod videret ſe mori in fide promiſſionis illius Abrahamo factæ: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.*

Cæterum, cum in iſta duo *Scheolah*, videlicet in angores malæ conſcientiæ, & in voluptatem & gaudium bonæ conſcientiæ, animæ deſcendant, atque adeo in iis ſepeliantur, antequam ex corporibus excedunt, minus facere non poterit Lutherus, quam vt aliud vel alia *Scheolah* nobis monſtret, ad quæ animæ deferantur, poſtquam corpora reliquerunt. Quod non grauatè faciet Lutherus. Mittet enim nos ad commentarium ſuum in cap. 42. Geneſeos, vbi de *Scheolah*, hoc eſt, de receptaculis animarum ex corporibus ſolutarum, acutiſſimè diſputatur, vt ſupra etiam vidimus, allatis non paucis ex prædicto commentario.

At hic nouus naſcitur ſcrupulus. Nam ſi anima nequit eſſe in loco corporeo, vt in illo exiſtat, quietemque vel cruciatum capiat, neceſſe erit, vt Lutherus iſta *Scheolah* ſua conſtituat extra hanc rerum vniuerſitatem ſupra extimum cœlum, in imaginario illo inani ſeu ſpatio, quod mente & cogitatione efformamus: Nam

 quo-

quocunque intra vniuersitatem hanc cum suis *Scheolah* veniat, semper locum corporeum inueniet, in quo anima existere non poterit. Verum vbicunque tandem sint ista *Scheolah*, hoc est, animarum habitacula, illud nō iniuria ex Luthero perconteris, quomodo anima ad ista *Scheolah* transferri queat, si non potest esse in loco corporeo: quia necesse est, vt in ista translatione transeat per loca corporea. At mittamus ista spinosiora.

Illud potius, & quidem non obiter, sed oculis attentis, videamus, quid animæ in suis *Scheolah* à Luthero feliciter conditis agant: quamue vitam ducant, vt iam nunc ad sedes illas beatas, insulis fortunatis longe fortunatiores omnibusque campis Elysiis lætiores & iucundiores inardescamus, & cum Horatio nos mutuo cohortemur.

Nos manet Oceanus circumuagus; arua beata
Petamus, arua, diuites & insulas:
Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis
Et imputata floret vsq; vinea, &c.
Mella caua manant ex ilice; montibus altis
Leuis crepante lympha desilit pede, &c.
Pluraq; felices mirabimur, &c.
Iuppiter illa piæ secreuit litora genti,
Vt inquinauit ære tempus aureum, &c.

Nec quis me reprehendat, quod *Scheolah* sub eadē positura seu terminatione in omni numero, & genere neutro vsurpo; quia imitor Lutherum, cui *Scheolah* est indeclinabile, vt *Nequam*, & modò fœmininum, modò neutrum.



CAPVT VIII.

Quid animæ in Lutheranis SCHEOLAH *seu receptaculis agant.*



ALLIMACHI Epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est, inquit Marcus Tullius lib. 1. Tuscul. Quæst. *quem ait, cum nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro* de immortalitate animæ. Vereor, ne idem eueniat, si ex ipsius Lutheri libris reuelem, quantis voluptatibus, quantis deliciis, quantis illecebris, quantis iucunditatibus & opimitatibus illa *Scheolah* seu habitacula, in quæ animæ migrant, circumfluant. Erunt fortè, qui nimio desiderio tantæ faustitatis & beatitatis inflammati seipsos acerbo funere mergant, & fila vitæ ante diem abrumpant.

Sed præstat, nil dissimulare: Rem itaque apertè omnium oculis subiiciemus, & quanta bonorum omnium copia animas corporibus egressas maneat, fideliter explicabimus. Quid igitur agunt animæ in illis *Scheolah* seu tabernaculis capite superiore descriptis? Nihil agunt; sed dormiunt: aut si quid agunt; *somnum agunt*; & cum Endymione, quem Luna in Latmo, monte Cariæ, consopiuit, certant, quisnam melius ingenium dormiendi habeat; seu quis ex continuato & perpetuato somno palmam reportaturus sit. Itaque animæ, quando hinc emigrant cubitum seu dormitum vadunt, vt glires, quando appropinquat hyems. Et hoc Lutherus statim in exordio sui Euangelij à spiritu suo familiari edoctus docuit; Nam Anno Redemptoris

ris M. D. XXII. in octaua Epiphaniæ hæc ad suum Amsdorffium rescripsit. *De animabus tuis non satis habeo, quod tibi respondeam.* (Quia nondum fuerat perfectè illuminatus) *Procliue mihi est concedere tecum in eam sententiam, iustorum animas dormire, ac vsque ad iudicij diem, nescire, vbi sint.* Ergo & Amstorffius fuit *Dormitantius* seu *Dormilius*; & ne solus esset; Lutherum quoque in suum *Dormitorium* asciuit.

Pergit Lutherus. *In quam sententiam me trahit verbum scripturæ: Dormiunt cum Patribus suis. Et mortui resuscitati per Christum & Apostolos, idem testantur, cum velut à somno euigilarunt, ignari, vbi fuerint. Accedunt huc & ecstases sanctorum multorum. Nec habeo, quibus hanc sententiam subuertere possim.*

Sed Lutherus stoliditatem hanc facilè subuertisset, si caput vndecimum Euangelij S. Ioannis inspexisset, inspectumque nonnihil perpendisset. Inde enim manifestè liquet; *dormire* idem esse, quod *mori*, vel mortuum esse; & somnum idem, quod mortem. Ibi namque Dominus ait, *Lazarus amicus noster dormit; sed vado, vt à somno eum excitem.* Quid his verbis aliud Dominus indicare voluit, quam, *Lazarus amicus noster mortuus est, sed vado, vt à morte eum exsuscitem?* Quod & Euangelista ostendit, subiungens ista. *Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem IESVS de morte eius; illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.* Vbi clarè vides somnum esse *mortem*; & dormire, *mori*, imo & mortuum esse: Et hoc ad totum compositũ, vel ad corpus, non autem ad animã referri debere; nam homo dicitur mori, vel mortuus, nõ anima; corpus dicitur mori, vel mortuũ; nõ anima; ergo

ergo vt *mors* & *mori* ad ſolum totum compoſitum, vel etiam ad corpus ſolum referuntur, non autem ad animam; (niſi fortè in Lutheri ſchola *ſomnus* & *dormire*, hoc eſt, *mors* & *mori* animæ competat, quod non fruſtra ſibi perſuaſerunt Anabaptiſtæ & Libertini, ſomnum hunc Lutheri, de ipſa animæ exſtinctione interpretati) ita etiam *ſomnus* & *dormire* ad ſolum compoſitum, vel ad ſolum corpus pertinebunt, quandoquidem ſunt ſynonyma. Quare cum in ſacris literis hi vel illi cum patribus ſuis dormire dicuntur; nihil aliud ſignificatur, quam hos vel illos eſſe mortuos æquè ac maiores ſuos; & iam mortuos, & quaſi ſomno ſecundum corpora ſopitos, exſpectare in eodem cubiculo terræ, omnibus communi, communem excitationem, quæ tunc erit, quando anima in corpus reformatum & reconcinnatum reuertetur.

Itaque ſomnus iſte non niſi vel impiè vel ſtultè animabus attribuitur; Impiè ſi ſomnus tribuatur animæ prout mortem denotat, cum anima ſit immortalis: Stultè verò, ſi animæ adſcribatur ſomnus, prout ſomnus pro ea affectione accipitur, qua ſenſus corporis ligantur, & actiones præpediuntur; ita vt quis, quid rerum agatur, neſciat. Nec animæ in ſcriptura; ſed homines, qui moriuntur vel mortui ſunt, & corporibus ſuis in ſepulchris, tanquam in lectis, dormientes, generalem reſurrectionem præſtolantur, *dormire* vel *dormiuiſſe* dicuntur; ſimilitudine ducta à ſomno corporis, quē ita quis init, vt non dormiat perpetim, ſed horâ præſtitutâ denuo euigilet, & ad ſolitas functiones redeat.

Præterea, vnde ſcit Lutherus, Lazarum, & alios à Chriſto, Apoſtolis, aliiſque ſanctis excitatos, nihil ſciuiſſe, vbi fuerint, quid viderint, quò peruenerint? Certè ſcri-

scriptura nihil de hoc tradit: Et exstant exempla eorum, qui vel verè mortui, vel in exstasin rapti, mira retulerunt, vt satis appareat, eos, Endymionis instar, consopitos non fuisse. Nec suo in raptu S. Paulus dormiuit, quia vidit & audiuit ineffabilia, vt ipsemet testatur, licet nescierit, num in corpore, an extra corpus arcana illa audiuisset. Nec sequitur, animam *dormisse*, si ad corpus reuersa, ignoret, vbi fuerit, aut quid viderit, audieritue; quia fieri potest, vt ex peculiari diuinæ prouidentiæ lege & caussa, nihil viderit vel audiuerit, vel corpori restituta omnia obliuioni tradiderit. Equidem mihi persuadeo, si vel ipse Lutherus, ex suo *Scheolah* ad nos hodie remearet, satis multa narraturum; & quod ab hora mortis suæ non dormiisset, ingenuè confessurum.

Sed nimium à linea euagor. Audiamus denuò *Dormitantium* nostrum. *Dormiunt sancti molliter & tranquillè. Et cum egrediemur ex hac misera vita, suauiter agonizabimus, & congregabimur ad populum nostrum, vbi non calamitas, non tribulatio, non afflictio, sed pax & quies & somnus placidus in Domino est.* *Luth. in ca. 29. Genes.*

Contra luctum opponendum est id, quod sequitur: Transiuit in requiem. *Caussa luctus, est lucis exstinctio; caussa solatÿ, requies. Requiescat in pace, cogitabis. Scio enim, quod bene habet; non est in tristitia, aut calamitate, sed in quiete. Ibi dormit, & exspectat meliorem vitam. Consolatio igitur nostra est, quod coniunx, filius, parentes, dormiunt, non hærent in pœnis & cruciatibus, sed in pace suauiter acquiescunt.* *Luth. in ca. 23. Genes.*

Alibi Lutherus. *Eris hodie mecum in paradiso,* hoc est, *liber à peccato, & securus à morte, nisi quòd illa extrema dies exspectanda est, cum reuelabuntur ista,* &c. *vt sit quasi allegorica* *Luth. in cap. 2. Genes.*

ribus in periculum cruciatuũ, & pœnarum inferni, sed esse eis paratum cubiculum, in quo dormiant in pace.

Sæpè mihi venit in mentem, inquit Lutherus, *non posse nos hæc assequi & intelligere, cum nequeamus capere, quomodo viuat homo in hac vita, quando dormit. Nisi enim assiduitate, & vsu quotidiano assueuissemus somno, æquè ac mortem ipsam exhorresceremus. Siquidem nihil aliud est somnus, quã quadam veluti migratio ex hac vita, vt nescias vbi, aut qui sis. Dum viuo, non dormio; sed animo præsenti sum, & incedo vigilans, & erectus. Cum verò somnum capio, me ipsum, & locum vbi sim, ignoro, & videor in aliud vitæ genus translatus. Iam quia vsitata res est somnus, nemo ab eo abhorret, sicut ad conspectum, aut mentionem alicuius inusitati & horribilis morbi expauescere solemus, qualis est epilepsia; qua correpti homines, etiam omni sensu & motu huius vitæ destituuntur, imò in aliam vitam descendisse videntur, adeò, vt siue igne adusti, siue in vndas mersi, prorsus nihil sentiant, nihil videant, neq; audiant, ideoq; Epileptici viuentes mortui sunt.* Luth. in ca. 42. Genes.

Nobis satis est scire, ait Lutherus, *quod sancti in veteri Testamento mortui in fide Christi venturi, & pij in nouo Testamento defuncti, in fide Christi exhibiti colligantur ad suum populum. Qui verò, aut qualis locus sit, non nobis constat; certum est, non esse malum; nec torqueri eos vllis cruciatibus, sed quiescere in gratia* DEI. *Quemadmodum dormiunt suauiter in hac vita, & sunt in protectione* DEI, *& Angelorum, neq; vllum periculum pertimescunt, etiam in medio diabolorum constituti. Ita, post hanc vitam iustorum animæ sunt in manu* DEI, *sicut dicitur Sap. 3. Modum autem quietis illius, nemo vnquam sciuit, exceptis illis, qui cum Christo resurrexerunt, aut ab ipso resuscitati sunt, vt Adam, Heua, Noah, Abraham, & alij, item filius Viduæ in Naim, & filia Archisynagogi.* Luth. in ca. 49. Genes.

Et tamen in Epiſtola ad Amſtorffium, inde probat mortuos excitatos à Chriſto & Apoſtolis, dormiuiſſe, quòd reuocati ad lucem neſciant, vbi fuerint, aut quid viderint, vel audierint. Quomodo igitur filius viduæ Naim, & filia Archiſynagogi modum ſomni huius intellexerunt? Subiungit Lutherus.

Nihil verò dubium eſt, collectos ad populum ſuum quieſcere. At quomodo? Dic tu, quomodo dormias, aut quo pacto fœtus in vtero materno ſeruetur. Mater ſenſit te in vtero moueri & viuere; ſed neſcis quomodo vixeris, palpaueris, videris, &c. *Suxiſti vbera matris ignarus rerum omnium, & iam ſcire & intelligere vis, quomodo ſeruet te* DEVS *in pace poſt mortem?*

Licet hæc infans, rationis vſu deſtitutus, nec intelligere, nec explicare poſſit; poteſt tamen hæc omnia intelligere, vbi adoleuerit, & ingenium diſciplinis Philoſophicis excoluerit. At iſtum Lutheri ſomnum, vel veternum, quo animæ ſeparatæ diſtineatur, nemo intelligit, vt ait Lutherus; quantumuis in omni eruditionis genere exercitatiſſimus: Propterea Lutherus huius ſui ſomni & ſomnij ſemper à nobis credulitatem exigit, non inquiſitionem, non examen. Hîc enim arbitratur impleri illud: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Quapropter denuo clamat: *Credamus igitur eſſe locum aliquem electorum, vbi quieſcunt omnes, præter eos, quos voluit* DEVS *redire in vitam cum Chriſto, quorum reſurrectione placuit* DEO *glorificare diem illum primitiarum, reſurrectionis Chriſti. Credo & Ioſeph tunc fuiſſe ſuſcitatum, qui omnes iacuerunt in ſepulchris vſque ad Chriſti aduentum. Hæc credere debemus, non curioſius rimari modum quietis. Quin potius hoc age, vt ſis de populo* DEI, *& credas Chriſtum reſurrexiſſe,* DEVS *curabit, vt ſis apud populum electorum, qui effecit,*

vt esses in vtero, in cunis, in somnis saluus & viuus. Ac mira sanè res est, quod facit nos similes bestiis dormiendo, comedendo, vigilando, &c. Anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis, & lectus noster instar sepulchri est, in quo tamen nihil molestum aut graue est. Ita, nec mortuorum locus cruciatus vllos habet, sed, vt dicitur, requiescunt in pace, quemadmodum in excitatis è somno, & vigilantibus, nulla doloris aut molestiæ significationes sunt, tametsi nesciunt, quid interea gestum sit.

Obserua hîc I. Lutherum fuisse similem *bestiis dormiendo, comedendo, vigilando*, &c. Nec est, quod hanc suam laudem cum aliis cõmunicare velit. Omnes enim sani capitis negabunt, se à Deo conditos esse similes bestiis *dormiendo, comedendo, vigilando.*

Obserua secundò, Lutherum ex obtusi capitis sui stupore rursus aliorum ingenia æstimare; Quia enim ipse non intelligit quid sit naturalis somnus, quid vigilia; persuadere nobis tentat, neque alios id intelligere; & cum ne naturalis quidem somni rationem teneant, multo minus assequi posse, in quonam somnus animarum in altera vita consistat.

Quo tendunt etiam illa in cap. 42. Geneseos. *Anima quidem, dum adhuc in corpore habitat, variè in somnis luditur obiectis speciebus inanibus somniorum, quæ non sunt res veræ; sed tamen viuit, quanquam oppressa somno, vt non possit exerere actiones & operationes suas. Corpus verò velut truncus iacet sine omni sensu* (Ex quo sequitur, etiam animas in suo *Scheolah* seu receptaculo, instar truncorum, iacere, quandoquidem dormiunt, sicuti animalia dormiunt.) *Ideò nemo facilè dixerit, quid sit somnus, quid vigilia, quid anima.* Hæc Lutherus nunquam exspuisset, si in disputationibus de anima, & in libello Aristote-

 lico

lico de *Somno & Vigilia* vel modice versatus fuisset.

Luth. in ca. 49. Genes. *Sæpè ego conatus sum obseruare momentum illud temporis*, inquit Lutherus, *quo aut obdormio, aut rursus euigilo, sed nunquam potui id deprehendere, aut præuenire, quin somnus me occuparet præter opinionem & cogitationem. Talis etiam erit mors & resurrectio nostra.* **Wir fahren dahin/ vnnd kommen am jüngsten Tag herwider / ehe wirs gewar werden/wissen auch nicht / wie lang wir auß gewesen sind.** Ergo in nouissimo die animæ Lutheranæ ex lethargo suo excitabuntur, nec scient, quantum temporis dormiendo consumpserint. Sed admirabundæ circumspicient, vbi nam terrarum vel cœlorum versentur, quibus orbis in oris degant; & fortè non longè aberunt à Regia *Somni*, si nō in ipsa, ipsiusque intimis penetralibus, & mirum est Lutherum ex Metamorphoseωn Ouidianarum libris, quos Tomo primo Epistolarum Latinarum alicubi magnis laudibus euehit, non didicisse, quo nam animas suas dormitum ablegare debuerit. An non legerat hos versus?

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cauus, ignaui domus, & penetralia Somni
Quo nunquam radiis Oriens, Mediusue, Cadensue
Phœbus adire potest, &c.

Quod Somni *Scheolah*, totamque structuram & omne ministerium eleganter profectò describit Naso.

Luth. in ca. 25. Genes. Si quæras; an nullum sit discrimen inter somnum huius vitæ & futuræ. Respondebit Lutherus. *Homo in hac vita defatigatus diurno labore, sub noctem intrat in cubiculum suum, tanquam in pace, vt ibi dormiat, & ea nocte fruitur quiete, neque quidquam scit de vllo malo siue incendij,*

dij, siue cadis. *Anima autem non sic dormit, sed vigilat* (& tamen, bipedum inconstantissime, vbiq; clamitas, animas in altera vita non vigilare, sed dormire; neque quidquam vllius rei vel scire vel sentire) *& patitur visiones, & loquelas Angelorum & Dei.* An non & homo dormiens visionum & allocutionum cœlestium capax est? An nulli vnquam homini Deus vel Angelus in somno locutus est? Et quorsum hæc Angelorum vel Dei cum dormientibus animabus colloquia? Nam quando Deus vel Minister Dei Angelus alicui dormienti aliquid annunciauit vel patefecit, id totum vel ad eius, cui reuelatio fiebat, vel ad aliorum vtilitatem dirigebatur. Qui finis in animabus illis dormientibus locum habere nequit, cum iam sint in termino, neque quidquam exspectent, nisi nouissimam tubam, qua ad gloriam cœlestem capessendam excitentur & euocentur; neque etiam cum mortalium rebus quidquam commercij negotiiue habeant; quia, vt ait Lutherus, *sancti dormiunt, & nesciunt, quid agatur. Et magnum est discrimen inter sanctos & Christum; nam illi dormiunt; Christus non dormit, sed est in cælo, vt gubernet, iudicet, regat Ecclesiam.* Gratias debemus Luthero, quod ipsum etiam Christum ad dormitorium abs se exædificatum non amandarit. *In cap. 25. Gen.*

At non immeritò scire aueas, an nulla sit similitudo, qua profunditas huius Lutherani somni aliquo modo explicari, & intellectui dilucidè repræsentari queat? Respondeo, Lvthervm non fuisse tam infantem ac indisertum, vt non potuerit hoc mysterium penitus abstrusum satis perspicuis similitudinibus lectori declarare: *nam sicut mater defert infantem in cubiculum, ponit in cunas, non vt mori-* *Luth. in ca. 25. Genes.*

moriatur, sed vt dormiat & quiescat suauiter: ita ante Christum, & multò magis post Christum, ingressæ sunt omnes animæ credentium in sinum Christi. Sic anima post mortem intrat in suum cubiculum & pacem, & dormiens non sentit suum somnum.

Animæ ergo corporibus exsolutæ portantur, velut infantes, in *Schcolah* seu conclaue & penetrale quoddam, vbi vt profundè, ita & quiete dormiunt; nullarum rerum consciæ, deq; nullis rebus seu terrestribus, seu cœlestibus sollicitæ; Nam quod S. Hieronymus affirmat, animas scire, *quæ fiunt in cœlo, id error est & stultum,* ait Lutherus in cap. 9. Ecclesiastæ. Quare quemadmodum infantes tota nocte, sic & animæ ab excessu ex corporibus perpetim stertunt, nec abs re obstupescat quis, quomodo anima Abelis, quæ prima omnium dormire cœpit, tot millium annorum somno necdum sit exsatiata. Mirum, ni & ipsa Adami anima iam tandem somni satur sit, lucemque respectare incipiat.

Necesse tamen est, vt Lutherus inter animas & infantes dormientes aliquod discrimen statuat: nam infantes interdum excitantur & vagiunt. Quapropter cunas motare, & nęniolam accinere oportet, vt denuò in somnum dentur. Nescio num Lutherus hoc soporatis itidem animabus accidere arbitretur.

Luth. in ca. 42. Genes. At vide aliam similitudinem à Luthero, mysterij explanandi gratia, allatam.

Ad hunc modum infantes in vtero materno perpetuò dormiunt. Animæ ergo dormiunt, sicut infantes in vteris maternis dormiunt. *Supra similitudinem attuli satis* *Luth. in ca. 49. Genes.* *crassam de vita fœtus in vtero*, inquit Lutherus. *Nemo enim omnium, qui viuunt hodie, scit, vbi fuerit, primis duobus annis, cum aut in vtero viueret, aut editus in hanc lucem suge-*

fugeret lac maternum; nescit, quales fuerint dies, quæ noctes, quæ tempora, qui gubernatores, & tamen vixit tunc, fuitque corpus coniunctum cum anima, & ad omnes actiones naturales idoneum, &c. *Quin noctu cum somnum capimus, nescimus, quo in loco dormiamus, cum amicisne, an inimicis.*

Quod ad hanc similitudinem attinet, iure optimo appellauit eam Lutherus *satis crassam*; quia reuera crassissima est, tametsi Auctore suo dignissima. Porrò num infantes in vtero materno indefinenter dormiant, vt asserit Lutherus, id Philosophis & Medicis examinandum relinquo. Hoc aio, Lutheranas animas non fore valde beatas, si post excessum non sortiantur meliorem statum, quam sit infantis in vtero materno, vel in incunabulis dormientis. Sumat aliquis Prædicantium materiam ex hac doctrina Lutheri, & moribundum, iamque supremæ luctæ proximum soletur & ad spem erigat his vel similibus verbis. *Charissime, bono animo esto. Iam ibis ad locum ignotum, in quem tamen non ascenditur, sed descenditur; & ibi profundissimum somnum vsq; ad nouissimi iudicij diem dormies ad eum ferè modum, quo infantes in cunis, inque vteris maternis dormiunt. Nihil scies, nihil intelliges, nihil videbis, nihil audies; sed ibi iacebis, instar cadaueris omni sensu carentis. Nemo tibi molestus erit. Quæ nam vita hoc statu beatior excogitari potest? Quid beatius, quam vsq; adeo quietè dormire, ita vt nescias, vbi sis, aut vbi dormias, inter amicos, an inter inimicos?* Soletur inquam, aliquis Prædicans hoc vel assimili modo ægrũ Lutheranum, videamus an solatium hoc sit admissurus, & non potius è vestigio mandaturus, vt huiusmodi paracletus *Dormitantius* quamprimum cum suo *somno* in rem malam abeat.

S. Paulus non cupiebat dissolui, & *dormire*; sed *dis-*

& priuatione debet Lutherus somnũ illum suum constituere; si, quid fabuletur, intelligat. Nisi fortè tam crasso pectore est, vt existimet, animas dum dormiunt, spiratione & inspiratione vti, atque adeo, vt nonnunquam hominibus accidit, interdum in sonoros ronchos prorumpere. Quo quid insulsius? Sed iam vlterius in hoc Lutherano *Dormitorio* progrediamur.

CAPVT IX.

Vtrum omnes animæ dormiant secundum doctrinam Dormitantij Islebici.

LVTHERVS duplices animas statuit: pias & impias; probas & improbas. De piis asserit Lutherus: *An vniuersale sit hoc omnibus animabus,*(vt dormiant) *non audeo asserere, propter raptum Pauli, Eliæ & Moysi, qui vtiq; non ficti apparuerunt in Monte Thabor. Quis enim nouit, quomodo Deus agat cum animabus separatis? Nonne potest eas aquè sopire alternis, vel quandiu voluerit, atq; viuentes in carne sopit? Iam illud Lucæ 16. de Abraham & Lazaro, etsi non vrget vniuersalem; tamen sensum tribuit Abrahæ & Lazaro, & durum est ad iudicij diem hoc torquere.* Hæc Lutherus Epist. ad Amstorffium Anno salutis M. D. XXII. Ex quo iure sciscitaberis, si nemo nouit, quid Deus cum animabus separatis agat, cur ipse in commentariis super Genesin & alibi tam imperterritè affirmet, animas mox ab egressu ex corporibus deportari dormitum in sua *Scheolah* seu conclauia, & illic sine vlla molestia vsque ad nouissimum diem iudicij requiescere?

Deinde ex Euangelica historia de Abraham & Lazaro colligit Lutherus, Abrahamum & Lazarum non dor-

dormire, sed sensu & intelligentia præditos esse. At in Homilia super illud Euangelium *de diuite Epulone & Lazaro mendico*, longè alia & aliter canit: nam totũ, quod de Lazaro & Epulone, & de colloquio Abrahami cum Epulone Lucę 16. scribitur, id ipse ad mortis articulum, & ad conscientiæ luctam, quæ tunc oriri solet, metaphoricè refert; vt & ipsum Abrahæ sinum, in quo Lazarus; & infernum, in quo diues Epulo. Si Luthero durum videbatur, hæc omnia ad vltimum iudicium referre, quanto durius erit, ista ad conscientiam conscientiæue cruciamenta & solamina sub horam mortis referre? At quod antea Luthero vel quouis silice durius visum, id non longo pòst tempore vel cuniculorum pilis mollius visum est.

In commentario tamen cap. 25. Geneseos largitur Lutherus Deo tantum potentiæ, vt animas ex lethargo illo excitare queat, si quando earum ministerio eget, sicut excitauit Helian & Moysen, tametsi profundissimo somno occupatos, quando, vt Christo in monte Thabor testimonium redderent, necessitas efflagitauit. Et fortè Moysi, cum ex tam dulci Somno exsuscitaretur accidit, quod ipsi Somno apud Nasonem.

----Tarda Moses grauitate iacentes
Vix oculos tollens, iterumq; iterumq; relabens
Summaq; percutiens nutanti pectora mento
Excussit tandem sibi se, cubitoq; leuatus
Quid veniat, (cognouit enim) scitatur, &c.

Et postea ministerio suo perfunctus.

----rursus molli languore solutus
Deposuitq; caput, stratoq; recondidit alto.

Et etiamnum suauiter dormire pergit, si somniator Lutherus Milesias fabellas nobis non denarrat.

Et tamen in Epistola ad Amstorffium, inde probat mortuos excitatos à Christo & Apostolis, dormiuisse, quòd reuocati ad lucem nesciant, vbi fuerint, aut quid viderint, vel audierint. Quomodo igitur filius viduæ Naim, & filia Archisynagogi modum somni huius intellexerunt? Subiungit Lutherus.

Nihil verò dubium est, collectos ad populum suum quiescere. At quomodo? Dic tu, quomodo dormias, aut quo pacto fœtus in vtero materno seruetur. Mater sensit te in vtero moueri & viuere; sed nescis quomodo vixeris, palpaueris, videris, &c. *Suxisti vbera matris ignarus rerum omnium, & iam scire & intelligere vis, quomodo seruet te* DEVS *in pace post mortem?*

Licet hæc infans, rationis vsu destitutus, nec intelligere, nec explicare possit; potest tamen hæc omnia intelligere, vbi adoleuerit, & ingenium disciplinis Philosophicis excoluerit. At istum Lutheri somnum, vel veternum, quo animæ separatæ distineatur, nemo intelligit, vt ait Lutherus; quantumuis in omni eruditionis genere exercitatissimus: Propterea Lutherus huius sui somni & somnij semper à nobis credulitatem exigit, non inquisitionem, non examen. Hîc enim arbitratur impleri illud: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quapropter denuo clamat: *Credamus igitur esse locum aliquem electorum, vbi quiescunt omnes, præter eos, quos voluit* DEVS *redire in vitam cum Christo, quorum resurrectione placuit* DEO *glorificare diem illum primitiarum, resurrectionis Christi. Credo & Ioseph tunc fuisse suscitatum, qui omnes iacuerunt in sepulchris vsque ad Christi aduentum. Hæc credere debemus, non curiosius rimari modum quietis. Quin potius hoc age, vt sis de populo* DEI, *& credas Christum resurrexisse,* DEVS *curabit, vt sis apud populum electorum, qui effecit,*

Digitized by Google

ut esses in utero, in cunis, in somnis saluus & viuus. Ac mira sanè res est, quod facit nos similes bestiis dormiendo, comedendo, vigilando, &c. Anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis, & lectus noster instar sepulchri est, in quo tamen nihil molestum aut graue est. Ita, nec mortuorum locus cruciatus ullos habet, sed, ut dicitur, requiescunt in pace; quemadmodum in excitatis è somno, & vigilantibus, nullæ doloris aut molestiæ significationes sunt, tametsi nesciunt, quid interea gestum sit.

Obserua hîc I. Lutherum fuisse similem *bestiis dormiendo, comedendo, vigilando*, &c. Nec est, quod hanc suam laudem cum aliis cõmunicare velit. Omnes enim sani capitis negabunt, se à Deo conditos esse similes bestiis *dormiendo, comedendo, vigilando.*

Obserua secundò, Lutherum ex obtusi capitis sui stupore rursus aliorum ingenia æstimare; Quia enim ipse non intelligit quid sit naturalis somnus, quid vigilia; persuadere nobis tentat, neque alios id intelligere; & cum ne naturalis quidem somni rationem teneant, multo minus assequi posse, in quonam somnus animarum in altera vita consistat.

Quo tendunt etiam illa in cap. 42. Geneseos. *Anima quidem, dum adhuc in corpore habitat, variè in somnis luditur obiectis speciebus inanibus somniorum, quæ non sunt res veræ; sed tamen viuit, quanquam oppressa somno, ut non possit exerere actiones & operationes suas. Corpus verò velut truncus iacet sine omni sensu* (Ex quo sequitur, etiam animas in suo *Scheolah* seu receptaculo, instar truncorum, iacere, quandoquidem dormiunt, sicuti animalia dormiunt.) *Ideò nemo facilè dixerit, quid sit somnus, quid vigilia, quid anima.* Hæc Lutherus nunquam exspuisset, si in disputationibus de anima, & in libello Aristote-

lico de *Somno & Vigilia* vel modicè versatus fuisset.

Luth. in ca. 49. Genes. *Sæpè ego conatus sum obseruare momentum illud temporis*, inquit Lutherus, *quo aut obdormio, aut rursus euigilo, sed nunquam potui id deprehendere, aut prauenire, quin somnus me occuparet præter opinionem & cogitationem. Talis etiam erit mors & resurrectio nostra.* **Wir fahren dahin/ vnnd kommen am jüngsten Tag herwider/ ehe wirs gewar werden/ wissen auch nicht/ wie lang wir außgewesen sind.** Ergo in nouissimo die animæ Lutheranæ ex lethargo suo excitabuntur, nec scient, quantum temporis dormiendo consumpserint. Sed admirabundæ circumspicient, vbi nam terrarum vel cœlorum versentur, quibus orbis in oris degant; & fortè non longè aberunt à Regia *Somni*, si nō in ipsa, ipsiusque intimis penetralibus, & mirum est Lutherum ex Metamorphoseωn Ouidianarum libris, quos Tomo primo Epistolarum Latinarum alicubi magnis laudibus euehit, non didicisse, quo nam animas suas dormitum ablegare debuerit. An non legerat hos versus?

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cauus, ignaui domus, & penetralia Somni
Quo nunquam radiis Oriens, Mediusue, Cadensue
Phœbus adire potest, &c.

Quod Somni *Scheolah*, totamque structuram & omne ministerium eleganter profectò describit Naso.

Luth. in ca. 25. Genes. Si quæras; an nullum sit discrimen inter somnum huius vitæ & futuræ. Respondebit Lutherus. *Homo in hac vita defatigatus diurno labore, sub noctem intrat in cubiculum suum, tanquam in pace, vt ibi dormiat, & ea nocte fruitur quiete, neque quidquam scit de vllo malo siue incendij.*

dij, siue cadis. Anima autem non sic dormit, sed vigilat (& tamen, bipedum inconstantissime, vbiq; clamitas, animas in altera vita non vigilare, sed dormire; neque quidquam vllius rei vel scire vel sentire) *& patitur visiones, & loquelas Angelorum & Dei.* An non & homo dormiens visionum & allocutionum cœlestium capax est? An nulli vnquam homini Deus vel Angelus in somno locutus est? Et quorsum hæc Angelorum vel Dei cum dormientibus animabus colloquia? Nam quando Deus vel Minister Dei Angelus alicui dormienti aliquid annunciauit vel patefecit, id totum vel ad eius, cui reuelatio fiebat, vel ad aliorum vtilitatem dirigebatur. Qui finis in animabus illis dormientibus locum habere nequit, cum iam sint in termino, neque quidquam exspectent, nisi nouissimam tubam, qua ad gloriam cœlestem capessendam excitentur & euocentur; neque etiam cum mortalium rebus quidquam commercij negotiiue habeant; quia, vt ait Lutherus, *sancti dormiunt, & nesciunt, quid agatur. Et magnum est discrimen inter sanctos & Christum; nam illi dormiunt; Christus non dormit, sed est in cælo, vt gubernet, iudicet, regat Ecclesiam.* Gratias debemus Luthero, quod ipsum etiam Christum ad dormitorium abs se exædificatum non amandarit. *In cap. 25. Gen.*

At non immeritò scire aueas, an nulla sit similitudo, qua profunditas huius Lutherani somni aliquo modo explicari, & intellectui dilucidè repræsentari queat? Respondeo, LVTHERVM non fuisse tam infantem ac indisertum, vt non potuerit hoc mysterium penitus abstrusum satis perspicuis similitudinibus lectori declarare: *nam sicut mater defert infantem in cubiculum, ponit in cunas, non vt* *Luth. in ca. 25. Genes.*

mori-

moriatur, sed vt dormiat & quiescat suauiter: ita ante Christum, & multò magis post Christum, ingressæ sunt omnes animæ credentium in sinum Christi. Sic anima post mortem intrat in suum cubiculum & pacem, & dormiens non sentit suum somnum.

Animæ ergo corporibus exsolutæ portantur, velut infantes, in *Schéolah* seu conclaue & penetrale quoddam, vbi vt profundè, ita & quiete dormiunt; nullarum rerum consciæ, deq; nullis rebus seu terrestribus, seu cœlestibus sollicitæ; Nam quod S. Hieronymus affirmat, animas scire, *quæ fiunt in cœlo, id error est & stultum*, ait Lutherus in cap. 9. Ecclesiastæ. Quare quemadmodum infantes tota nocte, sic & animæ ab excessu ex corporibus perpetim stertunt, nec abs re obstupescat quis, quomodo anima Abelis, quæ prima omnium dormire cœpit, tot millium annorum somno necdum sit exsatiata. Mirum, ni & ipsa Adami anima iam tandem somni satur sit, lucemque respectare incipiat.

Necesse tamen est, vt Lutherus inter animas & infantes dormientes aliquod discrimen statuat: nam infantes interdum excitantur & vagiunt. Quapropter cunas motare, & nęniolam accinere oportet, vt denuò in somnum dentur. Nescio num Lutherus hoc soporatis itidem animabus accidere arbitretur.

Luth. in ca. 42. Genes. At vide aliam similitudinem à Luthero, mysterij explanandi gratia, allatam.

Ad hunc modum infantes in vtero materno perpetuò dormiunt. Animæ ergo dormiunt, sicut infantes in vteris maternis dormiunt. *Supra similitudinem attuli satis* *Luth. in ca. 49. Genes.* *crassam de vita fœtus in vtero*, inquit Lutherus. *Nemo enim omnium, qui viuunt hodie, scit, vbi fuerit, primis duobus annis, cum aut in vtero viueret, aut editus in hanc lucem suge-*

Digitized by Google

fugeret lac maternum; nescit, quales fuerint dies, quæ noctes, quæ tempora, qui gubernatores, & tamen vixit tunc, fuitque corpus coniunctum cum anima, & ad omnes actiones naturales idoneum, &c. *Quin noctu cum somnum capimus, nescimus, quo in loco dormiamus, cum amicisne, an inimicis.*

Quod ad hanc similitudinem attinet, iure optimo appellauit eam Lutherus *satis crassam*; quia reuera crassissima est, tametsi Auctore suo dignissima. Porrò num infantes in vtero materno indefinenter dormiant, vt asserit Lutherus, id Philosophis & Medicis examinandum relinquo. Hoc aio, Lutheranas animas non fore valde beatas, si post excessum non sortiantur meliorem statum, quam sit infantis in vtero materno, vel in incunabulis dormientis. Sumat aliquis Prædicantium materiam ex hac doctrina Lutheri, & moribundum, iamque supremæ luctæ proximum soletur & ad spem erigat his vel similibus verbis. *Charissime, bono animo esto. Iam ibis ad locum ignotum, in quem tamen non ascenditur, sed descenditur; & ibi profundissimum somnum vsque ad nouissimi iudicij diem dormies ad eum ferè modum, quo infantes in cunis, inque vteris maternis dormiunt. Nihil scies, nihil intelliges, nihil videbis, nihil audies; sed ibi iacebis, instar cadaueris omni sensu carentis. Nemo tibi molestus erit. Quæ nam vita hoc statu beatior excogitari potest? Quid beatius, quam vsque adeo quietè dormire, ita vt nescias, vbi sis, aut vbi dormias, inter amicos, an inter inimicos?* Soletur inquam, aliquis Prædicans hoc vel assimili modo ægrũ Lutheranum, videamus an solatium hoc sit admissurus, & non potius è vestigio mandaturus, vt huiusmodi paracletus *Dormitantius* quamprimum cum suo *somno* in rem malam abeat.

S. Paulus non cupiebat dissolui, & *dormire*; sed *dis-*

 solui,

solui, & esse cum Christo: At Lutheranus Glossographus mox occurret: Esse cum Christo, nil aliud esse, quam dormire cum Christo. Verum pari iurè & peritia huic Saluatoris promissioni bono latroni factæ, allinet hoc glossema: *Hodie mecum eris in paradiso*, hoc est, *Hodie mecum dormiet anima tua, altissimo sopore obruta, in loco incognito.* Et hoc non vno vlteroue duntaxat die, mense, aut anno, sed multis annorum centuriis, vsque ad nouissimum diem. Et illud Apocalypseos cap. 7. *Hi qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum* DEI, *& seruiunt ei die ac nocte in templo eius*: Ex eodem somnifero Commentario ita explicandum erit: *Hi, qui amicti sunt stolis albis*, sunt, id est, dormiunt, *ante thronum* DEI, *& dormiendo seruiunt ei die ac nocte.* Quales verò serui, quorum tota seruitus nihil est aliud, quam continuus & nullo temporis momento interruptus somnus? Mirum, ni doctior aliquis Lutheranus, iam funeri vicinus, parentet sibi, & funebre odarium accinat illis Adriani Imperatoris versiculis: *Animula, vagula, blandula, Hospes, comesque corporis, quæ nunc abibis in loca pallidula, rigida, nudula. Nec, vt soles, iocos dabis*, sed gliris instar dormies; fiesque longè pinguior, cum nutrieris vnico dulcis soporis pabulo.

Porro eadem fermè, quæ Lutherus locis hactenus adductis de somno animarum tradidit, reperies etiam in Concione de Assumptione B. Virginis, vbi tres vitas distinguit: *Primam tribuit infantibus in cunis, qui viuunt, quamuis exiguum sensum vitæ habeant. Secundam, dormientibus, qui viuunt, nec sciunt tamen, quomodo viuant. Tertiam, vigilantibus, qui certò sciunt, se viuere, nec tamen vitæ suæ rationem tenent.*

Luth. in der Kirchen Postill.

Cum

Cum ergo, inquit Lutherus, *Deus efficere possit, vt in hoc angusto carcere non sentiamus, quo pacto viuamus, quanto magis id in amplissimo cœli habitaculo efficere poterit.* Vbi non est dissimulandum, cubiculum seu *Scheolah* pro dormientibus animabus in hac Homilia statui à Luthero in cœlo, cum in Commentario super Genesin dicat locum istum esse incognitum, & in illum descendi. Si descenditur, non ergo est in cœlo, quia in cœlum non descenditur, sed ascenditur. Deinde, licet dormiens, qua dormiens, nec sentiat nec sciat se viuere; tamen, qui vigilant, sciunt dormientem viuere; imo adeo hoc sciunt, vt insuper sciant, neminem, propriè loquendo, dormire posse, nisi viuat.

Præterea falsum est, homines nescire, quo principio vitæ viuant: Nisi enim quis prorsus sit stolidus, fatebitur, caussam, fontem & originem vitæ suæ esse animam rationalem cum corpore, tanquam formam informantem cum suo subiecto, copulatam: Et omnibus his de vita & somno strophis, Lutherus nihil aliud molitur, quam vt lectoris animum alio abducat, vel ei nebulas obducat, ne prodigiosam illam absurditatem, quæ in somno animarum continetur, animaduertat. Non enim quæstio est, vtrum DEVS facere possit, vt anima separata nihil intelligat, nihil, vt ita dicam, videat, audiat, percipiat, vtque etiam vbi nam locorum sit, ignoret; sed hæc est quæstio, vtrum DEVS reipsa iam animas ex corporibus egressas sopiat, somnoque, vsque ad finem mundi, quasi sepeliat; vt prorsus nullam actionem vitalem sibi consentaneam exerceant. in hac enim actionum vitalium desitione

& priuatione debet Lutherus somnũ illum suum constituere; si, quid fabuletur, intelligat. Nisi fortè tam crasso pectore est, vt existimet, animas dum dormiunt, spiratione & inspiratione vti, atque adeo, vt nonnunquam hominibus accidit, interdum in sonoros ronchos prorumpere. Quo quid insulsius? Sed iam vlterius in hoc Lutherano *Dormitorio* progrediamur.

CAPVT IX.

Vtrum omnes animæ dormiant secundum doctrinam Dormitantij Isslebici.

LVTHERVS duplices animas statuit: pias & impias; probas & improbas. De piis asserit Lutherus: *An vniuersale sit hoc omnibus animabus,* (vt dormiant) *non audeo asserere, propter raptum Pauli, Eliæ & Moysi, qui vtiq; non ficti apparuerunt in Monte Thabor. Quis enim nouit, quomodo Deus agat cum animabus separatis? Nonne potest eas aquè sopire alternis, vel quandiu voluerit, atq; viuentes in carne sopit? Iam illud Lucæ 16. de Abraham & Lazaro, etsi non vrget vniuersalem; tamen sensum tribuit Abrahæ & Lazaro, & durum est ad iudicij diem hoc torquere.* Hæc Lutherus Epist. ad Amstorffium Anno salutis M. D. XXII. Ex quo iure sciscitaberis, si nemo nouit, quid Deus cum animabus separatis agat, cur ipse in commentariis super Genesin & alibi tam imperterritè affirmet, animas mox ab egressu ex corporibus deportari dormitum in sua *Scheolah* seu conclauia, & illic sine vlla molestia vsque ad nouissimum diem iudicij requiescere?

Deinde ex Euangelica historia de Abraham & Lazaro colligit Lutherus, Abrahamum & Lazarum non dor-

dormire, sed sensu & intelligentia præditos esse. At in Homilia super illud Euangelium *de diuite Epulone & Lazaro mendico*, longè alia & aliter canit: nam totũ, quod de Lazaro & Epulone, & de colloquio Abrahami cum Epulone Lucę 16. scribitur, id ipse ad mortis articulum, & ad conscientiæ luctam, quæ tunc oriri solet, metaphoricè refert; vt & ipsum Abrahæ sinum, in quo Lazarus; & infernum, in quo diues Epulo. Si Luthero durum videbatur, hæc omnia ad vltimum iudicium referre, quanto durius erit, ista ad conscientiam conscientiæue cruciamenta & solamina sub horam mortis referre? At quod antea Luthero vel quouis silice durius visum, id non longo pòst tempore vel cuniculorum pilis mollius visum est.

In commentario tamen cap. 25. Geneseos largitur Lutherus Deo tantum potentiæ, vt animas ex lethargo illo excitare queat, si quando earum ministerio eget, sicut excitauit Helian & Moysen, tametsi profundissimo somno occupatos, quando, vt Christo in monte Thabor testimonium redderent, necessitas efflagitauit. Et fortè Moysi, cum ex tam dulci Somno exsuscitaretur accidit, quod ipsi Somno apud Nasonem.

---Tarda Moses grauitate iacentes
Vix oculos tollens, iterumq; iterumq; relabens
Summaq; percutiens nutanti pectora mento
Excussit tandem sibi se, cubitoq; leuatus
Quid veniat, (cognouit enim) scitatur, &c.

Et postea ministerio suo perfunctus.

----rursus molli languore solutus
Deposuitq; caput, stratoq; recondidit alto.

Et etiamnum suauiter dormire pergit, si somniator Lutherus Milesias fabellas nobis non denarrat.

Quòd verò Lutherus dicit, Deum posse animas *alternis sopire & excitare*; quis abnuat? *nam si amant alterna Camœna*, quanto magis Deus & animæ? Forsitan excitator animarum quisquis ille est, admodulatur illud Ausonianum. *Mane iam clarum reserat fenestras; iam strepit nidis vigilax hirundo, Tu, velut primam, mediamque noctem, Parmeno dormis.*

II. Lutherus in Commentario super cap. 49. Geneseos absolutè omnium iustorum animas dormire ait, *Exceptis illis, qui cum Christo resurrexerunt; vt Adam, Eua, Noah, Abraham.* Vbi iure quemuis desiderium sciendi incessat, vnde Lutherus compertum habuerit, istos quatuor determinatè cum Christo resurrexisse; inque cœlum ascendentem animabus & corporibus coniunctis comitatos esse: Testatur quidem Euangelista; multa sanctorum corpora resurrexisse, & sanctam ciuitatem intrasse: sed in his fuisse Adamum, Heuam, Noë & Abraham? id verò Euangelista non memorat. Vnde ergo hæc notitia Luthero? qui nihil asserit, nisi quod in scripturis reperit; si tamen thrasonismis eius fidem habendam credamus.

At quid de animabus improborum sentiendum? Num & ipsæ somnum Endymionis dormiunt? Audi Lutherum in Epist. ad Amstorffium. *Idem de damnatis sentio; posse aliquas sentire pœnas statim à morte, aliquas verò separari vsque in illum diem: Nam Epulo cruciatum fatetur.*
Psal. 139. *Et Psalmus dicit*: Virum iniustum mala capient in interitu; *nisi tu & hoc trahas ad diem iudicij, vel ad transeuntes mortis corporalis angustias. Igitur mea sententia est, incerta hac esse. Tu nunc vide, qui fuerint illi spiritus in carcere,*
1. Pet. 3. *quibus Petrus scribit, per Christum fuisse prædicatum; an non*

Digitized by Google

non & illi in eum vsq; diem dormire poterunt? Iudas autem de Sodomitis dicit. Ignis æterni pœnam sustinentes: *loquens de præsenti.*

En noui huius Euangelistę vertiginem. Eo ipso tempore, quo in libro contra Regem Angliæ vociferabatur, se certum esse, sua dogmata esse dogmata Christi, & Spiritus sancti, ambigit adhuc, num impij & scelerati, qui suis in criminibus vitam finiunt, mox ad inferni supplicia detrudantur; an verò nescio in quo angulo dormiant, tormentorum expertes.

Non diu tamen pòst, in Sermone de Lazaro & Epulone, infernum nihil aliud esse decreuit, quam malæ & infidelis conscientiæ in hac vita cruciatus: nam sicut *Abraha sinus est verbum Dei,* inquit Lutherus, *in quo fideles per fidem requiescunt, dormiunt & custodiuntur vsque ad nouissimum diem; ita eum locum infernum esse oportet, à quo verbum DEI exulat; in quem infideles per suam infidelitatem detrusi & compacti sunt vsque ad nouissimum diem: qui locus nihil aliud esse potest, nisi inanis, infidelis, peccatis inquinata, & mala conscientia.*

Habes hîc nouum *Scheolah*, nempe, verbum Dei, in quo animæ iustæ vsque ad nouissimum diem dormiunt. Habes & impiorum *Scheolah*, nimirum malam, & verbi diuini fideique exsortem conscientiam, quæ cum se adeo nudam conspicatur, horrificis cruciatibus affligitur, atque adeo in inferno est; sed in hac vita, sub vitæ clausulam & exitum.

Vtrum autem Tartareus iste dolor & cruciatus in anima separata permaneat, *id subtilius est, quam vt audientibus imperitis explicari queat*, inquit Lutherus, *quia fieri potest, vt horrificus iste cruciatus vnico temporis puncto*

puncto duret, ac postmodum euanescat, prout Deo visum fuerit; quia hîc certam regulam frustrâ expetis (præsertim ab isto quinto Euangelista, qui quæ pridie asseruit, postridie contrariis assertionibus euertit.) *Quapropter affirmare nequeo, diuitem epulonem adhuc illa conscientiæ tormenta persentiscere, quæ in articulo mortis sensit. Nec tamen vicissim id negare audeo, cum hoc in manu & arbitrio Dei situm sit.* Quis non obstupescat audacissimi huius Hæresiarchæ impudentiam? Ausus est è medio verum infernum tollere, & in hoc ipso impio suo Sermone asserere; *verum infernum in nouissimo demum die apertum & inchoatum iri, ac proinde, quando Lucæ 16. dicitur, Epulonem in inferno fuisse sepultum, inferni vocabulo verum infernum non posse accipi; sed conscientiæ impiæ cruciamenta:* Et iam derepente vsque adeo religiosus effectus est, vt negare vereatur, Epulonem illum cum iisdem conscientiæ suę cruciatibus adhuc colluctari. O impostorem. Quid non audeat, qui Epulonem, & omnes impios, quotquot à condito mundo nati & denati sunt, ex veri & realis inferni veris realibusque flammis eximere audeat, totâ eorum pœnâ ad malæ conscientiæ morsus & remorsus redactâ: licet num & hanc extra corpora sua animæ impiorum perpetiantur, Lutherus affirmare nolit. Et hæc quidem in supradicta de Epulone & Lazaro teterrima concione.

Quid in cap. 25. Genes. *Primum locum dicunt esse damnatorum, qui est cruciatus ignis æterni. An animæ impiorum torqueantur statim post obitum, non possum affirmare. Quanquam exemplum diuitis Epulonis huc facit.* Et tamen in concione iam sæpius dicta, negaueras, Epulonem vllumue alium impium in vero & reali inferno esse, sed si quid cruciatus patiantur, id totum esse angores & ærum-

ærumnas rodentis & mordentis impiæ & infidelis conſcientiæ. Nunc ſtylum vertis. Et exemplum epulonis de veris inferni ignibus accipi poſſe aſſeris.

Mox ſolita inconſtantiæ aura afflatus ſubiungis: *Sed contrarius eſt locus 2. Petri 2. de malis Angelis, qui ſeruantur ad iudicium; & verba Pauli 2. Corinth. 5. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti; vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Apparet eos etiam dormire & quieſcere; ſed nihil aſſero.* Hoc ſcilicet reſtabat, vt etiam Dæmones dormitantios faceres; ſi enim ex loco S. Petri colligis, animas dormire, quanquam te nihil aſſerere ais; quanto magis ex illo colligere debes, malos Angelos dormire, quandoquidem locus ille S. Petri non agit de animabus hominum, ſed de Dæmonibus; & ſi reſeruari ad iudicium, eſt dormire, Luthero interprete; oportet, vt & Dæmones dormiant, quandoquidem ad iudicium reſeruantur. Si ergo dormiunt, quomodo circumeunt, tanquam leones rugientes, & rugiendo quærentes, quem deuorent? Cur S. Petrus iubet, vt eis fortiter reſiſtamus in fide? Quid neceſſe eſt dormientibus fortiter reſiſtere, cum dormientes, vt & mortui, non mordeant?

Ais, *te nihil aſſerere, num animæ impiorum dormiant quoque & quieſcant.* Et tamen ibidem disertè ita loqueris: *Deus non eſt mortuorum Deus, ſed viuentium. Inde certi ſumus viuere animas, & dormire in pace, nec torqueri vllis cruciatibus.* Vbi certè Lutherus nullum diſcrimen inter piorum & impiorum animas conſtituit. Sed fecerit ſanè diſcrimen, ſi animæ ſomnum Lutheranum eumque tam profundum & diuturnum dormi-

d rent;

rent; Christus potius ita orationem instituisset; Deus non est mortuorum, sed *dormientium Deus*. At non dixit, *dormientium*; sed, *viuentium*: Ii autem maximè viuunt, præsertim excellentiorem illam vitam, nempe humanam, qui non dormiunt; cum sit consanguineus lethi sopor, & simillima mortis imago.

Sed en, vt in omnes partes se coluber iste vertit. *Impij, quando moriuntur*, inquit, *siue olim ante Christi aduentum decesserint, siue hodie post exhibitum Christum, simpliciter vadunt ad damnationem. An verò statim incipiat damnatio post mortem; nescimus, quia scriptum est; sistendos omnes ad tribunal Iudicis; & Ioan. 5. prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionem iudicij*. Num hoc fieri nequit, nisi damnatio differatur vsque ad extremum diem iudicij? An tunc non poterunt, resumptis corporibus, sisti ad tribunal Christi, licet animæ antea scelerum suorum pœnas in Gehennæ flammis dederint? An ex monumentis corpora iam animabus suis denuò copulata progredi non poterunt, & ad Christi iudicis sollum adduci, si eousque debitas flagitiis suis pœnas luerint; nec, glirium instar, non modò vnam, sed & plurimas tam hyemes, quàm æstates dormierint?

Quam verò cælesti lumine collustratus, & vndiquaque perfusus est nouus iste Propheta, qui aliquando Infernum commutat in malam conscientiam, & Inferni tormenta, in malæ conscientiæ cruciamenta: aliquando dubitat, num damnatæ animæ dormiant. Interdum affirmare non audet, num statim ab excessu ex corporibus supplicio æterno ignis addicantur. Et tamen in libro contra Regem Angliæ Anno Domini M.D.XXI.

M. D. XXI. euulgato horrendum in modum boat. *Certus sum dogmata mea habere me de cælo, qua etiam aduersus eum triumphaui, qui in vngue nouissimo plus habet virtutis, & astutia, quam omnes Papa, & Reges & Doctores*, &c. *Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, inuitis omnibus portis inferi.* Vsque adeo nimirum dogmata Lutheri stant, vt ipsos Lutheranos somniatoris sui Lutheri pudeat, neque hæc plusquam anilia de somno animarum somnia defendere audeant; nisi forsan cerebrosos quosdam, eosque perpaucos, somniatores, excipiendos existimes.

In caput 42. Geneseos ait Lutherus. *scheolah diuitis erant flamma. Atque is status & conditio impiorum soli* DEO *cognitus est, qui à nobis comprehendi non potest.* At in concione, de qua iam sæpe dictum, *Scheolah* epulonis non erant flammæ, sed malæ conscientiæ angores & ærumnæ. Et cur ait Lutherus, nesciri, num damnatio impiorum statim à morte inchoëtur, si epulo statim à morte fuit in flamma; vtique non vt in ea quiesceret, sed vt cruciaretur, ipsomet epulone teste, dum tormentorum vi adactus, clamauit; *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quorsum opus isto clamore, si in inferno dormiebat, aut si supplicium epulonis necdum inchoatum fuerat; nec item inchoandum, nisi post nouissimi diei iudicium?

Certè nisi Lutherus dormiuisset, vel potius profundissimè stertuisset, nunquam in hæc deliria proruпisset; cui Dormitantio iure occinetur illud Ausonij: *Dormiunt glires hiemen perennem, sed cibo parcunt, tibi*

caussa somni multa quòd potas; nimiaque tendis molè sagi-nam. Inde nec flexas sonus intrat aures; Et locum mentis sopor altus vrget, nec coruscantis oculos lacessunt Fulgura lucis. Plerumque enim temulentus, & ex temulentia sepultus, talia somnia somniabat, & in chartas vstulandas eructabat. imitatus nimirum illos, qui *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, hoc est, iuxta Lutheri glossema, in puncto seu ictu oculi in suum *Scheolah* dormitum descendunt, sed reuera non aliter ac diues ille epulo, qui quàm iucundè in suo *Scheolah* dormiuerit, planum faciunt lamentabiles eius ad Abrahamum pro leuamento threnodiæ.

Iob. 21.

CAPVT X.

Epitome eorum, quæ hactenus dicta. Quid Zvvinglius & Caluinus de somno Lutheri sentiant?

HÆc verò tam fanatica & Enthusiastica placita, si Lutherus sub exordium sui Euangelij duntaxat effudisset; & postea deseruisset, vt in multis aliis factitauit, cogitare quis potuisset, ea illi in paroxysmo quopiam excidisse, nec tam menti, quam amentiæ attribuissemus. At cum hæc eadem sua tam portentosa paradoxa in capita, 2. 25. 42. & 49. Geneseos tam battologicè & tautologicè ad fastidium vsque repetiuerit & inculcarit, cum iam suo *Scheolah*, hoc est, orco vicinus esset, id sanè plusquam mirum accuratius rem inspicienti accidit. Nam Genesin explicare, vel potius implicare, cœpit Lu-

therus Witebergæ Anno M. D. XXXV. & explicationem seu implicationem absoluit Anno M.D.XLV. die 17. Nouembris. Post tres menses, nimirum die 18. Februarij, Anno M. D. XLVI. Islebiæ in patria sua abiit cum Iuda *in locum* seu *Scheolah* suum; vt annotatur ad calcem Tomi 6. Latini Witebergensis. Hæsit ergo Lutherus in hoc suo veterno vsque ad vitæ suæ finem. Nam in cap. 49. Geneseos, quod est penultimum, pro somno animarum, tanquam pro aris & focis, dimicat; nec credibile est, eum, trimestri illo spatio, quo superuixit, ab hac stultitia recessisse. Ergo in hoc suo somno, quem vigilans dormiuit, dormitum abiit in illud *Scheolah*, vbi

Luctus & vltrices posuêre cubilia Curæ,
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; Senectus,
Et Metus, & malesuada Fames, & turpis Egestas.
Terribiles visu formæ, Lethumq;, Laborq;,
Et consanguineus Lethi Sopor.

Cui excitator in illis locis ordinarius hæc intonabit.

Surge, nugator, lacerande virgis,
Surge, ne longus tibi somnus, vnde
Non times, detur, rape membra molli,
Parmeno lecto.

Licet autem ex vetustis & posteriore itidem æuo quidam existimauerint, nec piorum animas ante generale illud iudicium beari, nec impiorum animas Tartareis ignibus torqueri, tam beatitudine, quam damnatione in nouissimum illum diem dilata; nullus tamen eò vsque processit, quod sciam, vt diceret, animas dormire, neque compertum habere, quid, quo-

modo, & vbi agant; nam licet sibi persuaderent pias non in beatitudine, & impias non in tormentis degere, attamen tam blenni & bliteі non fuêre, vt animas, quasi glires, imò plusquam glires consopirent, & omni actione spoliarent; vt fecit Lutherus, qui animas tantum non in stipites & caudices transformat.

Ex cuius doctrina nascuntur hæc themata & theoremata, quæ si quis Lutheranus in Academia quapiam Lutherana ad publicum examen exponere velit, is id faciat licet.

I. *Nullus Christianus est in cælo.*

II. *Nullus est beatus.*

III. *Nullus videt Deum.*

IV. *Nullus quidquam scit de rebus terrestribus vel cælestibus.*

V. *Omnes dormiunt.*

VI. *Sicut infantes in cunis.*

VII. *Idque in loco ignoto.*

VIII. *Non ascendunt in cælum, sed descendunt in infernum.*

IX. *Ignorant vbi sint.*

X. *Sunt sicut insensata cadauera.*

XI. *Et instar truncorum.*

XII. *Nesciunt, quamdiu dormiant vel dormiuerint.*

XIII. *Sunt extra se, quemadmodum Epileptici, phrenetici, & exstatici.*

XIV. *A DEO tamen aliquando excitantur ad certa ministeria. Exemplo sunt Moyses & Helias.*

XV. *Offi-*

XV. *Officio perfuncti rursus in dulcem somnum lumina declinant*: donec tandem clamitabunt; *Puer eia surge & calceos, & linteam da sindonem. Da quidquid est, amictui, quod iam parasti, vt prodeam.*

Contra has & similes Lutheri Theses ita argumentatur Zvvinglius in explicatione Articuli LVII. *Audio quosdam esse, qui nos à morte anima & corpore ad extremum vsque diem dormituros affirment, tunc resuscitandos & ingressuros esse in gaudium & gloriam Dei, aut in aeternam miseriam; cum quibus ego nequaquam sentio; nam quod scriptura de dormitione memorat, vt 1. Thessal. 4. aliisque in locis, non ad animam, sed ad corpus referri debet, vt ex posterioribus liquebit. Porrò, quae de praemiis aut poenis extremi illius diei dicuntur, debent intelligi, quod tum toti homini contingant, nam tum tandem vniuscuiusque hominis iudicium manifestum fiet, quia omnium hominum, qui ab initio mundi ad finem vsque sunt*, &c.

CHRISTVS primitiae est dormientium & nostrae resurrectionis 1. Corinth. 15. Quod si nos sumus resurrecturi, quemadmodum CHRISTVS resurrexit: non dormiet anima nostra à morte, nam nec CHRISTI anima dormiuit; sed vt est in Canticis cap. 5. Ego dormio, cor autem meum vigilat: nam tametsi iuxta corpus verè sit mortuus CHRISTVS, cor tamen eius vigilauit; nam ad mortuos venit, quibus salutem annunciauit 1. Petri 3. Iuxta carnem mortuus est, sed iuxta spiritum viuificatus, in quo etiam abiit, & spiritibus, qui erant in carcere, praedicauit, &c. *Audis Petrum in ea esse sententia, CHRISTVM à morte sua captiuis gaudium redemptionis annunciasse. Quod si illi tum fue-*

Digitized by Google

fuerunt viui (& vigilantes) *quanto magis fidelium animæ à morte viuunt* (& vigilant) *Nec Dominus dixit ad Latronem* : Hodie mecum dormies ; *sed*, hodie mecum eris in paradiso. *Ex quo sequitur , statim post mortem , aut gaudium adesse , aut pœnam.* Hæc non incommodè Zvvinglius contra Lutherum, & alios somniatores.

Caluinus quoque aduersus hoc somniantis Lutheri somnium integrum librum euulgauit, quem *Psychopannychiam* inscripsit ; sed ne Lutherum & Lutheranos offenderet, *Anabaptistas & Libertinos* in vestibulo operis posuit, tanquam illos, cum quibus omnis dimicatio suscepta sit. In quo libro duos errores it profligatum , vt ipse quidem præfatione ad amicum quendam suum gloriatur; alterum eorum, qui animas dicunt *dormire*; alterum eorum, qui dicunt animas mori; sed ita, vt hæc mors vltra nouissimum iudicij diem non duret ; tunc enim animas , instar corporum, reuicturas, seu vitam , potentiâ Dei , recuperaturas.

Quidam principio confuse garriebant , inquit Caluinus, *mortuorum animas dormire*; *neque definiebant , quid per somnum vellent intelligi.* Quinam sunt isti QVIDAM , *qui confusè garriebant mortuorum animas dormire?* Cur non nominas , Caluine ? An non noueras istos confusaneos nugatores ? Noueras tàm probè, quàm probè ipsus tu te nosti. At metuebas, ne si nomina ederes , crabrones irritares , non ignarus , quam Lutherus cum suis aculeatus esset. Igitur silentio tibi perquam sapienter cauisti.

Iam

Iam perge. *Emerſerunt poſtea* ψυχοκτόνοι (animarum interfectores) *iſti, qui prorſus eas iugulant, ſed ſine vulnere*. Atqui prona, ſi non proniſſima, via fuit à LVTHERI ſomno ad interitum animarum ſtatuendum, quem poſtea alij Lutheri doctrinam, vel potius phaſmata & ſomnia, ſecuti, ſtatuerunt: nam qui animam vſque ad extremum iudicij diem, inſtar demortui cadaueris, ſine vlla actione vitali, alicubi in recondito angulo recubare docet, is & ſibi & aliis ad animæ interitum moliendum, expeditam viam ſternit. Quid enim talis animæ ſtatus à perfecta morte diſtat? Certè perparum, & multò minus quam ſtatus hominis naturaliter dormientis, cum in iſto nihilominus ſint ſaltem quædam operationes vitales ab anima vegetatrice vel ſentiente prouenientes; in anima autem Lutheranum ſomnum ſtertente, nullum penitus vitæ indicium ſuperſit: nam id, quod Lutherus vocat *ſomnum*, non poteſt eſſe ille ſomnus, qui eſt affectio animalis, hic enim tam non competit animabus, quam non competit rebus ſenſu deſtitutis: ſed nomine *ſomni* neceſſariò Lutherus intelligere debuit omnium actionum vitalium in anima vacuitatem & ceſſationem; ſicuti cum corpus humanum, vitæ iam exſors ſeu cadauer, in ſepulchro dormire dicimus, nihil aliud per dormitionem ſeu ſomnum iſtum denotamus, quàm omnimodam omnium actionum vitalium deſitionem. Et quamuis ſubtilior & doctior aliquis ſomnum animæ nominare poſſet, non ipſam exſtinctionem, ſed ſolummodo ſuſpenſionem actionum vitalium, ij tamen, qui Luthero hanc ſomniculoſam fabulam agenti ſupplaudebant, tam docti & ſubtiles non erant, vt inter exſtinctionem & ſuſpenſionem, quan-

tumuis longè inaniſſimam, diſcrimen aliquod agno-ſcerent: ſed mox, data à LVTHERO porta, rue-runt, & animas vſque ad communem omnium re-ſurrectionem extingui, ingenti contentione aſſeuera-runt.

Illorum quidem errorem non ferendum, horum verò inſa-niam grauiter coërcendam exiſtimo, vtroſque nec ratione, nec iudicio niti, inquit Caluinus: Vbi iterum cum Lu-thero & Lutheranis admodum clementer agit, nec hos nec illum nominans, cum non ignoraret, quis ſom-ni iſtius Auctor & Architectus eſſet; quo lethargico ſomno plurimos correptos fuiſſe teſtantur hæc Calui-uini verba. *Vtinam inuenta eſſet alia ratio, quæ malum hoc plus nimio pullulaſcens, maturè recideret, ne velut can-cer, magis ac magis indies ſerpat. Neque tamen nunc primum naſcitur: ſiquidem legimus Arabicos fuiſſe quoſdam huius dogmatis Auctores, qui iactarent, animam cum corpore vna emori, in die iudicij vtrumque reſurgere.* Et hæc quidem ſcribebat Caluinus Anno M. D. XXXV.

Poſtea in recognitione *Pſychopannychiæ* Anno M. D. XXXVI. cum quibuſdam aſperior & acerbior di-ſputator viſus fuiſſet, nonnihil mellis inſpergere vo-luit, ne nimia amaricie nonnulli nimium offenderen-tur. *Quando ſcio*, inquit Caluinus, *nonnullos bonos vi-ros* (Lutherum, Amſtorphium, & ſimiles) *quibus de hoc ſomno aliquid in animum inſtillatum fuerit,* (imo non ſolum aliquid, ſed plurimum, ipſumque totum, quantum quantum eſt, ſoporiferum poculum,) *vel ni-mia credendi facilitate, vel ignorantia ſcripturæ, quæ ad re-ſiſtendum, pro tempore, non fuerint ſatis armati, in eorum offenſionem, quoad per eos liceat, nolim incurrere.* Quam placidus & manſuetus Caluinus, præter morem & ge-nium

nium suum? Quam se munit vndique, ne quid in Lutherum & Lutheranos dicere videatur, omnibus spiculis in solos Anabaptistas vibratis, cum tamen isti Lutherum ducem & primipilum sequantur, proximum quidem & *immediatum* in animarum somno; *mediatum* verò in animarum interfectione, si tamen *mediatum*, & non potius proximum.

Nam Lutherum in animæ immortalitatem sinistrè & Epicurée affectum fuisse, tria, præter dictum soporem, ostendunt. Primò, quia definitionem Ecclesiæ, qua definiuit, esse substantialem formam corporis, nominauit *Sacrilegam determinationem, ac portentum.* Alibi hanc propositionem: *Animam esse immortalem*, & similes, vocat *portenta in Romano sterquilinio Decretorum comprehensa.* Secundò; quia negat totam animam esse in qualibet parte. Tertiò, quia dicit animam esse ex traduce, atque adeo educi ex potentia materiæ, instar aliarum animarum, vt constat ex Disputatione secunda ex illis, quæ exstant ad Tomum secundum Latinum Witebergensem, à Thesi XLI. vsque ad L. Item Thesi XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. & Thesi XXXV. dicit, *determinationes Papæ & suæ Synagogæ pro exterminatione seu execratione iustissima caussa habemus.* Vbi definitionem Pontificis, qua decernitur, animam non esse ex carnali propagatione, sed ex creatione, vocat *exterminationem* seu *execrationem.* Quæ omnia ostendunt sub pectore Lutheri Epicurum nidum posuisse: eidemque peruersam suam opinionem de animæ mortalitate afflasse.

Vide Luther. Acad. cap. 5.

Luth. Acad. cap. 14.

Luth. Acad. cap. 7.

Quid verò ipse Caluinus? Tolerabilius nonnihil, quam Lutherus, insaniuit; quandoquidem animas

in soporem non dedit, sed vigilantes extra cœlum & gloriæ cœlestis locum constituit: Nam libro 4. Institut. cap. 20. dicit; *Solum* CHRISTVM *ingressum esse sanctuarium cæli, reliquos verò omnes residere in atrio, ibique exspectare vsque ad mundi consummationem.* Et cap. 25. §. 6. ait: *Stultum & temerarium est inquirere, quo in loco sint animæ iustorum, & an gloria fruantur, nec ne. Interea, cum scriptura vbique iubeat pendere ab exspectatione aduentus Christi, & gloriam ac coronam eousque differat; contenti simus hiis finibus diuinitus præscriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ exspectant.*

Non dormiunt ergo secundum Caluini doctrinam animæ; at nec in cœlo sunt; sed extra, in quodam atrio; in quo tamen melancholicam vitam non agunt, sed lætam, & quidem feliciter lætam. De quibus Caluinianis campis Elysiis plura non addo, quia actum agerem, postquam MARTINVS BECANVS noster in Purgatorio Caluiniano, omnes angulos huius atrij, in quo animæ Caluinianæ degunt, ita excussit; vt nihil, accensis facibus, denuo lustrandum esse videatur. Quemadmodum & SEBASTIANVS HEISSIVS noster in libello de Lutherano Purgatorio somniantem, & in suo somno submersum Lutherum ita stimulauit, vt mirum sit, si Lutherani non expergefiant.

Illud ad extremum addo, etiam Bullingerum in fine libri quarti contra Anabaptistas, tota sua castra in Anabaptistas vertisse, neque vel leuiter Lutherum vel Lutheranos tetigisse, cum certum sit, non modo alia scripta, sed & commentaria Lutheri in Genesin

nesin à Bullingero visa esse; qui Germanicum suum librum aduersus Anabaptisticam sectam, Anno demum Christi M. D. LX. Tiguri publicauit. Sed noluit mordere Lutherum, ne fortè ab aliquo Lutherano remorderetur. Itaque satius duxit, sceleris huius architecto prætermisso, in alios impetum facere, vt impleretur illud:

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Quidquid à Luthero in somno animarum deliratum, id luunt Anabaptistæ; licet tam meritò, quam immerito Lutherus à pœna & insectatione eximitur.

Finis libri tertij.



Digitized by Google

Digitized by Google

IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI

Diſputationes duæ

ALTERA DE SVBTERRANEIS ANIMARVM RECEPTACVlis contra Sectarios. Altera, de ſtatu beatorum, olim in Academia Ingolſtadienſi ad publicum examen & certamen propoſita.


Digitized by Google



IN HÆRESIN.

VT LENTO gangræna gradu depascitur artus
Corporis, & tristi sæuit per viscera morsu,
Nil illibatum, nihil intactumq; relinquens,
Donec vel ferro flammisue coërcita cesset
Serpere, vel mortem alterius sibi funere gignat:
Sic etiam Hæreseos latè exedit omnia pestis,
Vix patiens Medici, nec celso parcit Olympo
Indigenisue Poli, nec nigro parcit Auerno
Indigenisue Orci; sed quà licet, ore cruento
Grassatur, modò dente petens Acherontis abyssum,
Mox inconsumptas absumens ætheris ædes.
Dic vbi nunc domus illa Stygis leuioribus apta
Purgandis noxis, Manesq; parare per ignem
Ad cælum solita, vt diuina particula auræ
Sedibus astriferis succedat criminis expers?
Limbus vbi infantum, celeri quos morte peremptos
Labe salutiferi non expiat vnda lauacri?
Limbus vbi Patrum, cæco quos carcere clausos
Longa dies tenuit, donec duce & auspice Christo
Ad superos patuit veterum via peruia nullis?
Nec superest Orcus. nam qui superesset in omnes
Diffusus partes, certo sine limite, nulla
Finitus meta, cælo permixtus & astris
Et terræ & ponto, & quidquid complectitur æther?
Desinit esse quod est, Infernus vbique locatus,
Nam supra si sit supremo in culmine cæli,
Non erit Infernus, nisi fortè situm ipsius Orbis
Hæresis inuertat, muteтq; inferna supernis,
Infera vti supera; & rursus supera infera fiant:
Vel potius, maius quò sit chaos, vtraq; vtrumq;
Vel potius, maius quò sit scelus, artibus hisce
Nil aliud quærit, quàm Inferni abolere timorem,
Spemq; poli. quid enim metuas formidine vana
In quo iam degis? cælestia templa quid optes,
Quæ iam nunc habitas? in cælo viuis & Orco,
Quid speras quod habes? bona spes absentia quærit.
Quid fugis id, quod vt effugias fuga nulla datura est?

LECTO-



LECTORI.

CVM in tertio libro huius nostri Operis, aliquoties mentio facta sit sedium, in quas animæ corporibus solutæ cooptantur; non abs re fore iudicaui, si his libris, in gratiam lectoris, subiungerem de hoc argumento duas Disputationes, quarum alteram Anno M. D. XCVII. in Aprili; alteram Anno M. D. XCVI. in Martio, cum Scholasticam Theologiam profiterer, in Academia Ingolstadiensi institui, typisque descriptas publicaui: priorem quidem nominatim contra Samuelem Huberum prędicantem initiò Caluinianum, postea Luthera-

 num;

Digitized by Google

num; ſemper turbulentum & ſeditioſum; vtpote, qui non modò Heluetiam, ſed & Saxoniã rixis ac contentionibus impleuerit, nec prius iurgandi finem fecerit, quàm & ex Heluetia, & ex VVitebergenſi Academia expulſus fuerit. Hic vt nomen ſibi compararet, clamoſiſsimis & furioſiſsimis Theſibus Diſputationem Bellarmini *de Purgatorio* exagitandam ſuſcepit; cuius maniam hac Academicâ lucubratiunculâ aliquantiſper iam olim caſtigatum iui.

Vale.





DISPVTATIO.
THEOLOGICA DE SVBTERRANEIS ANIMARVM RECEPTACVLIS, HABITA INGOLSTADII M. D. XCVII.

Thesis Prima.

INFERNI nomen multum in consuetudine vitæ; multum item in scriptu, tum externis, tum nostris circumfertur, inquit D. Gregorius Nyssenus: solentque pro quatuor diuersis hominum conditionibus, quatuor item inferni receptacula statui; sedes Damnatorum, Purgatorium, Limbus paruulorum & Limbus iustorum veteris Testamenti; quæ omnia aliquando communi *inferni* nomine significantur: *Nam in infernum, tanquam in quoddam receptaculum omnes hinc putant animas transmigrare*, ait idem Nyssenus; etsi iam cõmuniori vsu vocabulum Inferni vsurpari consueuerit pro loco eorum, qui non modò ab æterna beatitudine excidunt, sed & summos cruciatus perpetiuntur. De singulis ordine assertiones nonnullas ponemus.

Disput. de anima & resurrectione.

Loco citato.

DE INFERNO.

2.

Lib. de anima cap. 31. INFERNVS, damnatorũ carcer, locus certus est & determinatus. *Nobis inferi,* inquit Tertullianus, *non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur; sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* Negant hoc Vbiquistæ; & infernum vbiq; ponunt, fortè ne ab inferno aberrent. Sed refelluntur iis Scripturæ testimoniis, quæ significant impios in infernum descendere; maximè illustris est locus Num. 16. vbi describitur interitus Dathan & Abiron & sociorum: *Confestim igitur* (inquit Scriptura) *vt cessauit Moyses loqui, disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, descenderuntq; viui in infernum operti humo.* Huc spectant etiam illa Dauidis: *Descendant ad infernum viuentes.* Et: *Si descendero in infernum, ades.* Et illud beati Iob: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt:* & alia huius generis: Quomodo igitur in infernum descenditur, ita vt terminus descensionis illius sit infernus, si infernus vbique est? In eo quidem, quod vbique est, descendere licet, sed in id quod vbique est, quomodo verè descendatur, ne ipsi quidem Vbiquetarij intelligunt.

Psal. 54. *Psal. 138.* *Cap. 21.*

3\. Idem commentum illis Scripturæ testimoniis refellitur, in quibus cœlum & infernus, tanquam loca disiunctissima, & quasi ex diametro repugnantia, sibi mutuò opponuntur. *Tu Capharnaum* (inquit Dominus) *nunquid in cœlum vsq; exaltaberis? vsque in infernum descendes;* seu, vt habet S. Lucas, *vsq; ad infernum demergeris.* Et apud Esaiam dicitur de Diabolo: *Dixisti in cœlum*

Matth. 11. *Cap. 10.* *Cap. 14.*

lum conscendam,&c. Veruntamen vsque ad infernum detruderis, in profundum laci. Et Apostolus, *cælestes, terrestres* & *inferos*, tanquam sibi mutuò secundùm loci positiones oppositos, commemorat. Et B. Dauid: *Si ascendero*, inquit, *in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Sed si infernus esset vbique, & similiter cœlum, tunc inter duo ista loca non esset vlla distantia, neque vlla differentia positionum, secundùm rationem inferioris & superioris. *Ad Philip. 2.*

4. Eidem rei confirmandę, accommodata est, seu historia, seu parabola de Epulone & Lazaro. Nam diues *Luc. 16.* sepultus in inferno eleuauit oculos, vt videret Abrahamum, tanquam ex loco profundiore in altiorem respiciens; & Abraham respondit: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt qui hinc volunt transire ad vos, non possint.* Postea rogauit is pro fratribus suis: *Ne veniant & ipsi*, inquit, *in hunc locum tormentorum.* Quæ omnia certum & definitum aliquem locum significant. Quomodo enim inter locum Abrahami & epulonis maximum interuallum erat, si locus epulonis vbique erat, atque adeò etiam ibi, vbi tunc Abraham & Lazarus erant?

5. Præterea infernum esse locum determinatum consentiente SS. Patrum authoritate constat. Quis enim vnquam ex illorum numero non iam cœlum cum terra, quod veteri verbo tanquam absurdissimum ferebatur, sed & cœlum cum inferno, & hunc cum illo miscuit? Nec est quod in subsidium sententiæ suæ aduocent D. Gregorium Nyssenum: Non *Disp. de anima* enim negat infernum esse locum certum, sed tan- *& resurrect.* tùm disputat, vtrum ea terræ pars, quæ nostro hemisphærio directè respondet, defunctorum animabus

Digitized by Google

sit destinata; vt quidam affirmare videbantur. Et hoc nō satis verisimiliter affirmari, inde probat rectè, quod oppositam nobis mundi partem sol æquè certa vice illustret, atque nostram, quod est contra inferni notionem & rationem, cùm inferni nomine apud Sacros & profanos Scriptores, vt inquit, *nihil aliud significetur quàm receptaculum, quod & obscurum est, & à conspectu hominum remotum*.

6. Accedit quod ipsi etiam Ethnici infernum certo loco definierunt, vt quiuis ex Virgilio intelligere potest. Neque omne illud fabulosum iudicandum est, quod ab infidelibus proditum & agnitum est, alioqui Deum esse fabulosum censeri deberet, cum & hoc à non paucis cognitum & literis traditum fuerit.

lib. 6. AEneid.

7. Porrò si infernus, vt Vbiquistæ volunt, vbique est; necessariò sequitur, non modò damnatos, sed & beatos, non modò dæmones, sed & Angelos, verè in inferno esse, imò ipsos etiam videntes, & viuentes homines, & quicquid in terra, aqua, vel aëre viuit, vbinam locorum nisi in inferno degere dicent, si doctrinæ suæ consentanea sentire & loqui velint? Sed huius sententiæ absurditatem si non animaduertunt Vbiquistæ, trunci sunt; si animaduertunt & tamen in ea persistunt; stolidi.

8. Si quis dicat, infernum non ita ab his statui vbique, quasi omnis locus sit damnatorum locus, sed quod Deus puniendis reprobis nullum certum locum destinet, verùm arbitratu suo iam hunc iam illum deligat; is præterquam quod à mente Vbiquistarum aberrabit, non effugiet absurditatem cum impietate coniunctam. Nam testimonia Scripturæ allata probant infernum esse locum certum & determinatum.

9. Nec

9. Nec quicquam valent argumenta Vbiquiſtarum. Obiiciunt I. *Dæmones, cum in his ſuperis orbis partibus verſantur, verè in inferno eſſe. Infernum igitur non eſſe certis loci alicuius limitibus circumſcribendum.* Sed qua ratione probant iſti id quod ſumunt? Nulla videlicet, ſed nuda & ſola ſua aſſeueratione. Negemus igitur antecedens, donec illud firmo quopiam argumento demonſtrent. Vt enim Angelus bonus dum nobiſcum verſatur, interim non eſt in cælo, licet ſuam beatitudinem ſecum circumferat: ita Angelus malus dum circuit in terra, *tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret,* in inferno non eſt; ſed in terra; licet ſuam damnationem & pœnam ſecum circumferat.

10. Illud item vrgent, credibile non videri, tantæ multitudini, quanta erit damnatorum, capiendæ, ſufficere poſſe locum aliquem certum & determinatum. Sed iam pridem Bullingerus Sacramentarius reſpondit Brentio Vbiquetario, non eſſe cur timeant Vbiquiſtæ; ſe ob loci anguſtias ab inferis excluſum iri, ſatis enim fore capacem omnium Vbiquiſtarum, & aliorum ſceleratorum. Addimus nos in gratiam Bullingeri, etiam Zvvinglianorum & Caluinianorum.

11. Fortè putant Dæmonem vel animam cum ſint Spiritus, loco corporeo contineri non poſſe; quaſi locus naturæ ſpiritus aduerſetur. Sed *qui conſiderat quod nunc in hac vita* (vt ait Gregorius Nyſſenus) *anima in corporibus eſt, cùm natura aliud quiddam anima atque corpus ſit, is non abſterrebitur, quo minus ſpiritibus corporeum receptaculum aſſignet.* Etſi autem nihil tam abſurdum excogitari queat, quòd Vbiquiſtæ non defendant, vix tamen arbitràmur, eos eò veſaniæ progreſſos; vt cogitarint *Diſp. de anima & Reſur.*

rint

rint animam vel Dæmones esse vbique; ac proinde infernum quoque vbique ponendum esse.

12. Cæterùm ex iisdem locis, quibus probauimus, infernum esse certum, rectè itidem demonstratur, infernum esse locum subterraneum. Id primò ex ipso *descendendi* vocabulo liquet. Nam descendere conuenit homini tantum, ratione terræ, in cuius hiatus ipse descendere potest. Nam respectu aëris & cœli homo potiùs ascendit. Id ipsum D. Paulus innuit, dum inferos *Philip. 2.* ὑποχθονίους, hoc est, *subterraneos* appellat; librumque signatum septē sigillis, qui aperiret, nemo dignus est inuentus, neque in cœlo, neque in terra, neque *subtus terram*, teste D. Ioanne. *Apocal. 15.* *Cum ergo ad aperiendum librum nullus sub terra inuentus dignus dicitur, quid obstet non video,* *Lib 4. dialog. cap. 42.* inquit S. Gregorius Magnus, *vt sub terra infernus esse credatur?* *In Apolog. cap. 45.* qui, vt Tertullianus definit, nihil est aliud, quàm ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus.

13. Idem videtur indicare ipsum *inferni* nomen, & concors omnium mortalium, etiam religionis nostræ expertium, consensio. Neque verò infernus sub terra esset, si, vt quidam apud D. Gregorium Nyssenum voluisse videntur, *In disput. de anima.* infernus in altero huius vniuersi hemisphærio esset. Nam qui in eo degunt æquè ac nos non sub terra, sed super terram degunt.

14. Ignis gehennæ verus est & corporeus, quia in Scriptura passim *ignis* appellatur, eoque spiritus Dæmonum & hominum tenentur & cruciantur, licet miris, veris tamen modis, vt ait S. Augustinus. *Lib. 21 de ciuit. cap. 10.* Negant hoc Hæretici, alij quidem tacitè, alij expresè. *Samuel Huber disput de Purgat contra Bellarm. Thes. 95.* *Eo dementia* (inquit vnus ex prædicantium grege) *veniunt* (Iesuitæ) *vt spiritum incorporeum ab igne corporeo excruciari autument.*

15. Sed

15. Sed num ſpiritus cruciari poſſint, ab igne corporeo, melius niſi fallimur, nôrat ille, qui verbis minimè metaphoricè vſus, dixit: *quia crucior in hac flamma*, quàm iſti, qui præter calumnias & mendacia nihil norunt. *Certè reprobis veritas in fine dictura eſt* (inquit S. Gregorius) *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*: & cur mittit in ignem, ſi non vt in pœnam? Cur paratus eſt Diabolo & Angelis eius; ſi non vt tormentum, vel potiùs vt tortor? Quid, quod diſertis verbis ignis ille appellatur *ſupplicium* omnium eorũ, qui ſententiam condemnationis excipient? Si ſupplicium eſt; oportet vt cruciet omnes, qui eo ſupplicio afficientur. *Luc.16.* *Lib.4. dialog. cap. 29.*

16. Multò minus mirum videri debet, ſpiritum incorporeum corporeo loco & igne teneri, vt in carcere. *Nam ſi viuentis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore* (inquit S. Gregorius) *cur non poſt mortem, cùm incorporeus ſit ſpiritus, etiam corporeo igne teneatur? Et ſi in hoc teneri poteſt, quod viuificat, quare non pœnaliter & ibi teneatur, vbi mortificatur?* Neque vllus ſanctorum Patrum negauit, aliquo tandem modo, ſpiritus incorporeos ab igne torqueri. Quamobrem cum illud nonnunquam negare videntur, tantum negant, ſpiritus ab igne cruciari phyſicè, & eo modo, quo ignis in corpora agit. Quo ſenſu accipi debet illud D. Gregorij Nyſſeni: *Animam per ſeſe ſeparatim ignis nunquam attigerit, nec tenebræ quidem ei moleſtæ fuerint*: non autem negant, quin ignis & alia inferorum tormenta, verè & realiter poſſint, tanquam inſtrumenta Dei, ſpiritus corporis expertes affligere & cruciare. *Loco citato.* *Orat. 3. de Reſurrect.*

17. Non enim ſolos homines, reſumptis corporibus in ignem mittet iuſtus ille iudex; ſed & Dæmones pla- *Matth.25.*

 nè in-

nè incorporeos, vt ex ipsa Iudicis sententia planum fit,
Apocal. 20. & ex Apocalypsi; quo loco etiam Diabolus dicitur missus in *stagnum ignis, vbi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte*. Ergo incorporei spiritus, & non tantùm corpora damnatorum, ab illo igne excarnificabuntur: *Si igitur Diaboli* (vt D. Gregorij verbis vtamur) *eiusq; Angeli cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ etiam antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?*

Loco sup. cit.

18. Pœna inferni æterna est. Nam ignis inferni dicitur in Scriptura, *inextinguibilis*, & *æternus*. Et ne quis putet ipsum quidem ignem fore æternum, non autem mansionem in eo; nominatur ignis ille à Christo supplicium æternum. Negarunt id veteres nonnulli Hæretici, & ipse Origenes, qui ἀποκατάστασιν & communem omnium tam Dæmonum, quàm hominum damnatorum liberationem stabilire aggressi sunt. Eandemque opinionem immeritò tribuerunt Græci, in sua Apologia, contra Purgatorium, & alij vetustiores, D. Gregorio Nysseno.

Matth. 25.

In Vita D. Gregorij Nysseni. Manusc. Bibliotheca Bavarica.

DE PVRGATORIO.

19.

PVRGATORII nomine, intelligunt Orthodoxi locum, in quo tanquam in carcere, purgantur animæ, quæ in hac vita non fuerint perfectè purgatæ, vt tandem omnibus inquinamentis expiatis, omnique debito persoluto, regnum cœleste obtineant. Hoc duplices habet hostes hoc tempore; Hæreticos & Græcos, quique Græcis addicti. Hæretici penitus id inficiantur; idem ex Græcis nonnulli faciunt, vt apparet ex Genna-

Bell. 6. de Purg.

Digitized by Google

Gennadio. Alij ex illis agnoscunt quidem expurgationem aliquam post mortem, si quis non omnis maculæ purus hinc decedat, sed non in igne, nec per ignem: *Nos*, inquiunt Græci in Concilio Florent. *Purgatorium, non ignem, sed obscurum quendam locum ac laborum plenum esse censemus; in quo quidem existentes animæ lumine diuino priuantur, donec coadiuuante Ecclesia expientur ac liberentur.* Idem ferè habetur in Apologia Latinis à Græcorum conuentu oblata.

20. Contra Hæreticos & Græcos prioris generis, rectè probatur Purgatorium ab Orthodoxis, cùm ex aliis locis Testamenti veteris, tum ex 2. Machab. cap. 12. vbi postquam narratum est, fortissimum ducem Iudam Machabæum, misisse Hierosolymam, duodecim millia drachmarum argenti, in sacrificium pro mortuis expendenda, subiungitur: *Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Hinc in Ecclesia Catholica consuetudo preces fundendi, pro defunctorum incolumitate, iam ab Apostolorum temporibus ad nos vsque transmissa.

21. Probant præterea Catholici, assertionem de Purgatorio variis testimoniis noui Testamenti, præsertim illo Matth. 12. vbi dicit Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur, *neq. in hoc seculo, neq. in futuro. In qua sententia datur intelligi* (inquit S. Gregor.) *quasdam culpas in hoc seculo, quasdam in futuro posse laxari*, per orationes videlicet, & suffragia Ecclesiæ, & quod hinc est consequens, locum aliquem esse, vbi post hanc vitam animæ expurgentur. *Lib. 4. dialog. cap. 39.*

22. Respondent quidam Græci, ex his testimoniis rectè quidem colligi, post hanc vitam aliqua peccata remitti, non autem ignem Purgatorium esse. Verùm *In sua Apologia.*

Latini ex his & similibus locis nihil aliud proximè & immediatè concludere volunt, quàm esse aliquem post hanc vitam locum, vbi peccata, quæ restant, expientur. Vtrum autem in illo loco per ignem fiat expiatio, id non hinc, sed aliundè ostendunt.

23. Alij Græci pressi communi Ecclesiæ more pro defunctis orandi, dicunt suffragia & oblationes pro defunctis, non fieri, quod eis prosint; sed in gratiam Sacerdotum institutas esse, vt præsidia vitæ sibi compararent, oblationes & eleemosynas accipiendo, vt refert Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus. Eandem responsionem mutuati sunt à Græcis hæretici huius ætatis, qui totum Purgatorium, & omnia sacra pro defunctis, quæstus & emolumenti causa, à Sacerdotibus excogitata esse mentiuntur.

De Purgat. cap. 3.

Hub. in præfat. & passim in Thesib. suis.

24. Sed quod Gennadius respondit Græcis, hoc nos respondemus nostris hæreticis: *O insaniam, ô stoliditatem, ô impudentiam, & blasphemiam. Non enim vt inde victum sibi pararent Sacerdotes, Ecclesia hoc constituit. Nam id vel cogitare impium ac penitus stultum est; sed in vtilitatem mortuorum sancitum est.* Certè Scriptura non dicit à Machabæo missam illam pecuniæ summam, vt prodesset Sacerdotibus, sed vt iis, qui in prælio ceciderant: Et S. Patres, quorum doctrinam meritò hæreticorum mendaciis præferimus, ipsis mortuorum animabus, suffragia viuorum, opem ac subsidium adferre docent. Neque hoc negarunt Græci saniores in Concilio Florentino.

25. Instant Græci apud Gennadium; si suffragia & oblationes prosunt defunctis, miserè agetur cum illis, quibus tantum facultatis non fuit, vt suffragia sibi procurarent. Bene Gennadius: *Dementes*, inquit, *estis, neque perci-*

percipitis Ecclesiam Dei semper orare pro mortuis, & singulis Sabbatis, pro animabus tantùm facere commemorationem (loquitur de consuetudine Ecclesiæ Græcanicæ) *praterea bis in anno pro defunctorum memoria festum celebrat. Hoc eò fit, vt omnes & qui habent cognatos, qui curam de eis suscipiant, & qui non habent, pariter huius subsidij participes efficiantur.* Hæc ille de Græcis contra degeneres Græcos. Quid item Latina Ecclesia priuatim & publicè pro defunctorum salute agat, notius est quam vt longa oratione egeat.

26. Eadem Purgatorij assertio, Fidelibus tradita est à plurimis Conciliis, partim prouincialibus, partim Oecumenicis, itemque à S. Patribus, tum Græcis, tum Latinis; quorum vnanimem consensum, dum hæretici spernunt, satis, cuiusnam spiritus sint, produnt. Quid enim illa hæretici prædicantis sibi volunt? *Tertium Purgatorij munimentum est confusus & varius atq; instans strepitus clamorq; Patrum. Sed respondemus, Patres esse ad regulam Scripturæ examinandos. Constat enim, obrepsisse quibusdam aliquos ex Schola Platonica nauos, contagione & errore plenos.* Vbi quot verba, tot grandia mendacia. Nam Patres neque confusè, neque inconstanter, sed distinctissimè, & constantissimè Purgatorium esse asserunt, idque non in Scholâ Platonis, sed in Schola Christi edocti. *Hub. Thes. 368. & seq.*

27. Sed ait iste, *nullum ex sanctis Patribus tradidisse eiusmodi Purgatorij formam, qualem nunc Papistæ describant.* Num mentiatur Lutheranus, facilè intelliget, quisquis loca Patrum, quæ à Catholicis pro Purgatorio adferuntur, considerare voluerit. Purgatorium enim asserunt sancti Patres, siue dicant viuorum suffragia prodesse defunctis, siue expressius adhuc, mortuos in altera vita

expiari, tradant. Quis autem sanctorum Patrum id non dicit, vel si non dicat, quis negat? Non enim omne id, quod non dicimus, ob id negare censemur. Quamobrem necesse non est, vt hoc loco demonstremus, omnes Patres ad amussim, inter se primùm, deinde cum Iesuitis consentire de pœnæ genere, magnitudine, & diuturnitate, de loco, de personis, & de remediis. Nam hîc tantum quærimus, *an sit* Purgatorium: Et in quæstionis parte affirmatiua, conuenire Iesuitas cum Patribus, & hos cum illis, clarius est, quàm prædicantes velint. An verò in aliis itidem quæstionibus, quas miscet imperitè iste prædicans, inter se & cum Iesuitis conueniant, non hîc, sed alibi disquirendum est.

Thes. 376. 28. *Origenes* (inquit iste) *citatur à Iesuitis, pro Purgatorio, & tamen damnatus est in Concilio V, tanquam hæreticus.* Cæterùm damnatus non est ob Purgatorij assertionem, sed quod Purgatorium cum inferno confunderet. A Iesuitis autem non citatur, nisi quatenus orthodoxè & verè de Purgatorio sensit. Nam Purgatorium esse, quod dixit & scripsit Origenes, non est hæreticum, sed Catholicum, licet hæreticum sit dicere; Purgatorium hoc, peccatis mortiferis expiandis, esse destinatum; quod veræ sententiæ falsò apposuit Origenes.

29. Quod verò Patres videantur diuersa sensisse de iis, qui Purgatorio expiandi sunt, hoc non obstat concordi assertioni Purgatorij, vt Prædicans iste sibi malè persuadet. Alia enim quæstio est, an sit Purgatorium, in cuius affirmantem partem Patres consona voce cõspirant: Alia, quibusnam Purgatorium decretum sit; in qua etiamsi Patres dissentirent, minimè tamẽ oporteret eosdem in priori etiam quæstione dissentire.

Quàm

Quàm longè autem à vero abit iste, dum scurrili ioco nugatur, S. Gregorium Magnum, primum fuisse, *qui Purgatorium obsederit; & animabus defunctorum opem ferre voluerit, exemplo superioribus seculis prorsus incognito & inaudito.* Omnibus enim notum est, quot sæculis D. Gregorium antecesserint S. Clemens Romanus, S. Dionysius Areopagita, Nazianzenus, Ephræm, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus & alij, qui suffragiorum pro defunctis & Purgatorij disertis verbis meminerunt. *Thes. 386.*

30. Nec desunt rationes, quibus Purgatorium Catholici demonstrent: duæ suffecerint. Altera à peccatis venialibus, altera à consensu omnium propemodum Gentium sumitur, quo saltem ostenditur, Purgatorium nõ esse contra rationem. Nam contingere potest, vt homo peccatis leuioribus obnoxius, vel pœnæ alicuius temporalis adhuc persoluendæ reus, ex hac vita migret: oportet igitur esse aliquem locum vbi & maculæ contractæ eluantur, quandoquidem nihil contaminatum in illam cœlestem societatem admittitur, & debita, si quæ adhuc supersunt, exsoluantur, cùm Deus non modò sit misericors, sed & iustus, ita vt compensationem pro iniuriis sibi à peccatore illatis dignã exigat. Iam verò, vt ad consensum veniamus, Purgatorium post hanc vitam confitentur non modò Christiani, sed & Iudæi, Mahometani, & Ethnici, tam Philosophi, quàm Poëtæ. At id, in quo omnes ferè communiter conspirant, non nisi ipsius veritatis vox censeri debet.

31. Primo argumento variis modis occurrunt Græci & hæretici. Hi enim negãt esse vlla peccata venialia, vllámue pœnã peccato, quoad culpam remisso superesse. *Apud Gennadium de Purgat. sect. 8.*

Sed

Sed nunc de his disputandi locus non est. Græci dicunt, ad regnum cœleste obtinendum, sufficere homini sub extremum vitæ articulum pœnitentiam cum lachrymis feruentemque confessionem. Quasi verò Latini negent vndequaque perfectum de peccatis dolorem, satis esse ad salutem æternam, sine mora obtinendam. Hoc negant, & rectè quidem, in singulis, quos mors aufert, eiusmodi scelerum admissorum detestationem reperiri, quæ valeat & ad omnes culpas veniales tollendas, & ad satisfactionem, pro omni pœna malè commissis debita.

32. Alterum argumentum à consensione communi petitum rident hæretici: *Nobis*, inquit prædicans, *non parum gratificantur, quod istarum religionū colluuiem, fundamentum ponunt sua in doctrina de Purgatorio Religionis.* Quis, ô prædicans, fundamentum ipsius assertionis de Purgatorio posuit in gentilium & infidelium auctoritate? An non Catholici ex Scriptura Purgatorium demonstrant, in eaque totius huius caussæ arcem & præsidium ponunt, adiunctis Conciliis & Doctoribus, Ecclesiæ nutritiis? Neque argumento deducto ab infidelium sensu alium ob finem vtuntur, quàm vt ostendant, adeò Purgatorium à ratione non abhorrere, vt ipsi etiam Religionis nostræ hostes & osores, illud saltem secundùm generalem quandam rationem agnouerint, & monumentis suis descripserint.

...ub. Thes. 318

33. Si ideo Purgatorium fabulosum est, quod videatur ab infidelibus agnitum, fabulosus itidem erit ipse infernus, damnatorum carcer, Nam & hunc, & multò quidem lucidius, agnouerunt & descripserunt Ethnici, quod itidem de Limbo puerorum & Patrum veteris Testamenti responsum volumus. Non enim idcirco

Hub. Thes. 31.

vter-

Google

vterque ille Limbus fabulis annumerari debet, quia simile quiddam Virgilius cecinisse visus est, de loco iustorum, & de loco infantum:

Quos matris ab vbere raptos,
Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Alioqui infernum quoque de medio tollere licebit, quia de eodem versus luculentissimos apud eundem Poëtam legimus. Et certè nulla fit Prædicantibus, Vbiquistis præsertim iniuria, si quis illos ad inferni itidem demolitionem & abolitionem omnem suam curam & industriam conferre dicat. Refert *Franciscus Montanus,* *In Apolog. pro Societat. IESV.* *cùm Caluinianus quidam Minister in Gallia Purgatorium acerrimè oppugnâsset, illudq́ opinione sua è medio sustulisset; Nobiles nonnullos ad eum adiisse, & obnixè rogâsse, vt eandem operam nauaret destruendo Inferno, quam nauasset demoliendo purgatorio: vt in posterum non modò sine metu purgatorij, sed etiam absq; formidine Inferni vitam iucundam degerent. Morémne gesserit minister tam honestæ petitioni, nobis non liquet; si tamen coniectura agendum est, probabile sanè fit, Præconem illum non fuisse in obsequendo admodum difficilem. Quid enim cura Inferni ad Prædicantes, quorum professio, carnis opus: Apostolo teste, qui sectas operibus carnis annumerat?* *Gal. 5.* *Solent autem ij, qui se voluptatibus dedunt, remouere à se omne illud, quo tanquam freno intra virtutis limites aliquo modo contineri possunt; inprimis Inferni metum. Hinc & olim Epicurei, voluptuarij Philosophi, infernum & inferos negârunt: Quid mirum igitur, si noui Epicurei sectentur vestigia veterum, sectari verò testantur Vbiquetarij, qui docent Infernum esse vbique. At infernus vbique positus, quid aliud est quam nullus?*

34. Argumentantur præterea Catholici pro Purgatorio, ex variis animarum apparitionibus, quæ opem &

subsidium à viuis flagitant. Hic turbulentus prædicans:
Thes.367. *Nos*, inquit, *de istis apparitionibus sic iudicamus, id quod apparuisse visum est, siue se Diabolum, siue se animam beatam, siue se animam Purgatorÿ, siue se animam condemnatam nominârit, nihil nisi ipsissimum fuisse Diabolum, hæcq; omnia, quæ ad Purgatorium pertinebant, ei inspirasse, cui suum tradidit thronum, & quem instigauit, vt se Christo Iesu totiq; Euangelio quàm acerrimum anteponeret ἀντικείμενον.* Attendite ergô omnes populi, *& inclinate aures vestras ad verba nostra.* Prædicans Lutheranus seditiosus & cerebrosus ait, omnes illas apparitiones, de quibus S. Gregorius Magnus, fuisse Diabolicas illusiones, & Papæ à Dæmone inspiratas; Gregorius Magnus vir sanctissimus, doctissimus, & ante mille annos in Ecclesia Dei celeberrimus, negat. Vtri creditis? Nec vel verbum addendum est; quis enim rabula iste, ad sanctum Gregorium Magnum?

35. Hactenus ostensum sit esse Purgatorium. Porro per ignem fieri in Purgatorio purgationem, communis est orthodoxorum sensus, neque temeritatis notã effugeret, quisquis non per ignem, sed alio tormenti genere, ordinariè animas ergastulo illo conclusas, expiari doceret. Negant hoc Græci, vt ex eorum Apologia in Concilio Florentino oblata apparet. Sed probant Latini sententiam suam cùm ex aliis locis Scripturæ, tum ex celebri illo Apostoli dicto:
1.Corinth.3. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Hoc enim loco intelligi pœnam aliquam purgatoriam & temporalem, ad quam post mortem adiudicentur, qui in iudicio particulari inueniuntur ædificasse *lignum, fœnum* aut *stipulam*, hoc est, leuiora peccata, communis est sententia Patrum & interpretum Scripturæ.

36. Re-

Digitized by Google

36. Respondent Græci in citato loco Apostoli, *ignis* nomine intelligi ignem inferni æternum, & per *lignum, fœnum, stipulam*, fomites æternæ flammæ Tartareæ, idque confirmant authoritate D. Chrysostomi: Cui authoritati, vt maior auctoritas accedat, verbosè narrant, quomodo S. Ioanni Chrysostom. D. Pauli epistolas interpretanti, ipse D. Paulus adsistere, & quasi explicationes in aurem insusurrare visus fuerit; vt non tam interpretatio hæc à D. Chrysostomo, quàm à D. Paulo profecta censeri debeat. *In Apologia.*

37. Verùm nemo non videt quàm absurda sit explicatio, si quis dicat: *Ipse autem*, damnatus videlicet, σωθήσεται, hoc est, conseruabitur integer & incorruptus, *per ignem*, hoc est, in igne inferni. Primùm enim verbum σώζεσθαι vsitata Scripturæ phrasi idem est, quod *saluari*, & σωτηρία idem quod *salus*; & quidem hic per gratiam, & ibi per vitam æternam. Vix enim in Scriptura accipitur nomen *salutis* seu σωτηρίας aliter, quàm in bonam partem, vt ostenderunt Latini in Concilio Florentino ante sessionem primam. Sed aiunt Græci τὸ σωθῆναι & σώζεσθαι & σωτηρίαν simpliciter nihil aliud in vulgari sua lingua significare, quàm *permanere* & *esse*. Demus hoc ita esse in gratiam Græcorum, interim tamen verba Scripturæ potiùs interpretanda sunt, ex vsitata ipsius Scripturæ significatione, quàm ex trito vulgaris linguæ vsu, si is à Scripturæ sensu dissentiat. Neque dubitamus ipsos etiam Græcos in quotidiano sermone, cùm dicunt, se sperare hunc vel illum beatum fore in cœlis, verbum σώζεσθαι vsurpare. Apparitio illa Chrysostomo facta, non cogit nos, vt omnia, quæ in D. Paulum scripsit, à D. Paulo profecta credamus, præsertim *In Apologia.*

vbi expoſitio communi aliorum interpretationi obſiſtit, & cum verbis ſancti Pauli non ſatis congruit.

38. Iam verò illud: *Saluabitur per ignem*, hoc eſt, in igne, quam durum & violentum eſt: Nam voecula *(Per)* ſignificat *tranſitum*, non manſionem in igne. Nec iuuat Græcos verbum ζημιωθήσεται, quod Latinus interpres reddidit: *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur.* Non enim ſignificat hoc verbum, hoc loco, talem, æterna pœna punitum iri, vt ſine probatione Græci affirmant, ſed ſignificat talem, cuius opus arſerit, pœnas luiturum, at cum ſpe ſalutis obtinendæ. Saluus enim erit, ſic tamen quaſi *per ignem*. Quis autem neget eum itidem, qui in Purgatorio tenetur, pœnas dare, atque adeò ζημιοῦσθαι, hoc eſt, *mulctari.*

39. Iniuriam faciunt Græci ſancto Auguſtino, & Latinis, cùm ſcribunt, eos ex hoc loco D. Pauli, in hanc ſententiam adductos, partim quia eis non ſuppetat vocabulum, quod aptè exprimat Græcæ vocis vim; partim quòd hac ſua ſententia maius malum vitare voluerint: fuiſſe enim, qui ex hoc teſtimonio D. Pauli colligerent omnes etiam damnatos tandem ſaluos fore: *Hanc itaq; opinionem volens Auguſtinus ſublatam*, aiunt Græci, *medium hoc punitionis genus admiſit, expiatorium ignem concedens, tametſi vocis fortaſsis infirmitate eò abductus.* Vtrumque horum falſum eſt. Nam & verbum *ſaluandi*, quod Latinum eſt, & Eccleſiaſticum, licet non Ciceronianum, Græci vocabuli vim & energiam optimè exprimit, & S. Auguſtinus non eo fuit ingenio, vt falſa doceret falſorum dogmatum refutandorum gratia: Ex veris enim ſatis ſuperque refellere potuit, hæreticam illam perſuaſionem, de omnium damnatorum liberatione. Denique, quæ qualiſque notio ſubiecta eſ-

ſet

Digitized by Google

ſet verbo σωζωθη, multò melius nouit Auguſtinus, quã Græci Græcanicæ illius Apologiæ parentes.

40. Ex Patribus adducunt Latini contra Græcos Theodoretum, explicantem prædicta verba Apoſtoli; cuius hæc verba citat B. Thomas: *Hinc credimus ignem Purgatorium, quo purgantur animæ, vt aurum in conflatorio.* *In Opuſculo contra Græc.* Vbi Theodoretus reſpexiſſe videtur ad illud Prophetę: *Malach 3.* *Ipſe ſedebit quaſi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos.* Quem locum accipiunt multi ex ſanctis Patribus de Purgatorio.

41. Reſpondent Græci, in ſuis Codicibus locũ hunc non reperiri. Quid tum? Quem fugit Græcos iam dudum ſolitos eradere ex ſcriptis Patrum, ſi quid ſibi aduerſari videant? Ars hæc inſueta non eſt ſchiſmaticis & hæreticis.

42. Theodoreto adiungunt Latini Diuum Gregorium Nyſſenum, qui Purgatorij ignis, in Oratione *de mortuis* ter meminit. Itemque non ſemel in alia *de anima & reſurrectione.* Reſpondent Græci more hæreticis vſitato: *Homo erat, errauit.* At quinam iſti ſunt, qui dant hoc *In Apologia.* reſponſum? Si homines; patiantur nos hoc reſponſum ad auctores ſuos remittere. Deinde dicunt, Nyſſenum probaſſe cum Origene ἀποκατάστασιν, & reſtitutionem omnium omnino damnatorum. Sed hac calumnia liberant Nyſſenum cum ipſius præclariſſima monumenta, tum auctor, qui eiuſdem vitam conſcripſit. Tertiò dicunt, hæc de Purgatorio igne, inſerta eſſe libris Nyſſeni ab Origeniſtis. Verum hac ſoluendi ratione, quæuis difficultas facilè diſſoluetur.

43. Eadem ferè fraude eludunt auctoritatem Diui Gregorij Magni, quem ipſi appellant *Dialogum*: Sed clarior eſt Diui Gregorij de igne Purgatorio teſtificatio,

Digitized by Google

quàm vt vllis artibus obscurari possit. Quamuis autem tradat aliquas animas, in thermis & balneis fuisse expurgatas, non negat tamen, esse locum aliquem certũ & ordinarium, vbi animæ igne expientur, licet extraordinariè omnibus iis locis possint pœnas persoluere, quæ Deus arbitratu suo delegerit.

In Apologia. 44. Qua porro fronte dicunt Græci Magistros suos, hoc est, Græcos Patres, nihil tradidisse, quod purgatio peccatorum in altera vita fiat per ignem? An non Græcus Pater est sanctus Diadochus Episcopus Photices, in veteri Epiro, auctor peruetus? qui disertè scribit, animas tempore mortis nondum perfectè purgatas, igne iudicij, hoc est, Purgatorij, in altera vita expurgari. An non Græcus Pater S. Maximus, qui contra Monothelitas egregiè depugnauit? Is igitur cùm Thalassius ab ipso petiisset, vt explicaret quidnam sibi voluerit S. Diadochus, quando scripsit quosdam per ignem esse iudicandos & purgandos, in sæculo futuro, respondit: *Qui adepti fuerunt charitatis perfectionem erga Deum, & alas animæ per virtutes in sublime extulerunt, rapientur secundùm Apostolum in nubibus obuiam venienti. Qui verò non fuerunt adepti perfectam charitatem, sed potiùs peccata habuerunt, vtpotè nondum purgati, hi ad tribunal iudicij venient, vbi per examinationem bonorum & malorum operum, tanquam vsti (πυρούμενοι) à supplicio liberati purgantur; si tamen lances bonorum operum præponderabunt.*

Lib. de perfect. spirituali, capite 100.

45. An non Græcus Pater fuit Anastasius Nicænus, qui dictum S. Diadochi locum citat & probat, & ad extremum hæc verba subdit? *Qui autem vel breui tempore extimescunt, tempore mortis relinquentur in omnium aliorum mutatione, vt qui iudicio iustitiæ & examinationi sint obnoxij, vt per ignem probati iudicij sibi debitas hæreditatis par-*

Lib. Variar. respons. q. 23.

partes recipiant, conuenienter eorum actionibus. Vniuscuiusque enim opus quale sit ignis probabit. Hæc ille. Vt iam alios Græcos Patres silentio prætereamus, præsertim Diuum Basilium, cuius hac de re luculentissimũ testimonium extat, & contra Græcos adducitur à Gennadio. *In Comment. super cap. 9. Isaia.*

46. Addunt insuper Græci, si ignis purgatorius temporalis statuatur, periculum fore, ne Christiani vllum ignem æternum arbitrentur esse. Sed quidnam hîc periculi? Quasi verò quisquam sit tam stupidus, & excors, qui differentiam ignis æterni, & temporarij notare non possit? Rationes autem, quas adferunt contra ignem purgatoriũ, vel ipsis Græcis schismaticis leuiores sunt, vt quiuis intelligens intelliget, qui eas sub finem Apologiæ Græcorum legere voluerit. *De Purgat. sect. 7.*

47. Purgatorium esse locum aliquem subterraneum, communis Doctorum & Christianorum sententia habet, secretum ab inferno, Damnatorum carcere, per aliquod interstitium, qualecunque illud demùm sit, ita vt Purgatorium sit immediatè supra infernum. Hic Lutheranus Thraso: *Hæreticissimi*, inquit, *& superbissimi Iesuitæ, spreto maiorum suorum iudicio, omnibus animabus purgandis, vnum constituunt labrum subterraneum, intermedium inter Limbum puerorum, & fundum gehennæ.* An verò ô Prædicans hæc opinio à Iesuitis est conficta? An non ea communis est, & veterum & recentiorũ Scholasticorum, vt Patres, qui eidem subscribunt, non commemoremus? *Non conueniunt*, inquit, *Papistæ de loco Purgatorij.* Quid tum? plures sint & fuerint de hoc opiniones. Quid hoc obstat vnitati fidei? Purgatorium esse tradit fides, ideo omnes Catholici in hoc consentiunt. At hic vel ibi esse, non tradit fides, ideo de eo aliter atque aliter opinari licet, salua charitate & Catholica vnitate, *Thesi 66.*

tate, etsi iam sententia, quam sequimur, ita passim obtinuit, vt ab ea sine temeritate recedere non liceat.

48. Neque hoc euertitur, vt credit Prædicans, per hoc, quod probati Scriptores referunt, animas aliquãdo in aëre, vel in hac terra purgatas. Nam non obstante ordinario loco, quo qui veniunt, per ignem pœnas luunt, fieri potest, vt iustò Dei iudicio, alibi, & alio tormenti genere animę expientur, cuius rei non improbabiles rationes aliqui reddunt. Itaque Catholici Doctores, qui vtrumque afferunt, minimè ipsi in se pugnant, vt clamosus seminiuerbius vociferatur.

49. Obiicit: *Torquentur animæ in Purgatorio secundùm pontificios, eodem igne, quo in inferno; sequitur ergo ex Purgatorio neminem liberari, cum ex igne inferni nemo euadat, adeò vt si quis rem ad viuum resecet videat eos sub Purgatorij nomine, ipsam gehennam cõprehendere, merosq́ fumos mortalibus vendere, dum liberationem ex Purgatorio promittunt. Ecce,* inquit *Prædicans.*

50. Rectè profectò monet, vt attendamus. Æquum enim est, vt attendendo, calumniatorem talem ac tantum agnoscamus, cognitumque detestemur. Ignis inferni vnus & idem est, specie, non numero. Quare minimè sequitur illa sequela, quam inuitam licet, & repugnantem prædicans deduxit. Deinde quamuis vnus & idem ignis numero, seu continuatione, damnatos, & eos, qui in Purgatorio, puniret, non tamen inde conficeretur ex Purgatorio neminem liberari. Nam vt ipsos damnatos ignis inferni inæqualiter punit, pro meritorum scilicet inæqualitate; ita idem ignis, & ad tempus, & in æternum punire posset, præsertim cum hac in re diuinæ iustitiæ seruiat.

51. Tempus quo animæ in Purgatorio degunt planè incer-

Digitized by Google

incertum est, licet certum sit illas, quibus plus pœnæ persoluendum restat, diutius ibi mansuras, cæteris paribus. Neque satis consideratè locuti sunt, qui expiandis animabus certum tempus præstituerunt, vt decennium v. g. Quod non ideo asserunt Catholici, *ne prouentu anniuersariorum fraudentur*, vt calumniatur Prædicans: sed quia absolutè definiri nequit, quantò tempore hæc vel illa anima in Purgatorio detineatur, mentiturque prædicans, cùm ait; *iudicio Catholicorum tamdiu animas in Purgatorio cruciari, quoad illis persoluuntur anniuersaria iusta, quibusdam autem perpetuò persolui, perpetuò igitur eas ex sententia nostra Purgatorij tormentis excarnificari.* *Thes. 105.* *Thes. 107.*

52. An animæ Purgatorij torqueantur à Dæmonibus, nonnulli incertũ esse arbitrantur. Hæreticus prædicans dicit: *Iesuitas idem affirmare simul & negare.* *Thes. 110.* Sed nemo non videt, aliud esse affirmare vtramq; quæstionis partem incertam esse; aliud verò vnam partem affirmare, & eandem mox iterum negare; prius Bellarminus facit, non autem posterius, vt ei imponit Lutheranus criminator; quamuis absolutè loquendo longè probabilius nobis videatur animas illas de beatitudine sua iam certas, Deoque charas ab hostibus Dei nequaquam puniri. Ad punitionem enim satis superque est, ipsum tormentum ignis. Neque affirmatiuę parti fauet Virgilius, vt nugatur Prædicans. Nam versus illos *Thes. 117.*

Hinc exaudiri gemitus, &c. Et: *6. Æneid.*

Continuò sontes vltrix accincta flagello, &c.

non protulit Virgilius de pœnis Purgatorij, sed de inferno, carcere & supplicio damnatorum. Si iste potiùs legisset Seruium quàm Kemnitium, melius vtiq; Virgilium intellexisset.

53. Tradunt Catholici animas in Purgatorio orare pro viuis. Hic iste: *Quinam orant*, inquit, *qui nullo Dei fruuntur conspectu, qui in exilium sunt reiecti, qui catenis tenebrarum vincti tenentur?* At nos his interrogationibus conficiemus, ne viuos quidem pro viuis orare posse. Quomodo enim orant, qui nullo fruuntur Dei conspectu, qui degunt in exilio, qui compedibus corporis tenentur compediti? *At isti cruciantur in Purgatorio*, inquit iste, *Ergo non orant*: quasi verò cruciatus minuat amoris studium. Christus in cruce pendens summis cruciatibus exercebatur, & similiter sanctus Stephanus cùm lapidibus obrueretur, & tamen vterque preces fudit non modò pro amicis, sed & pro iis, quorum manibus interficiebantur.

Thes. 112.

54. Purgatorio soli illi obnoxij sunt, qui peccatis venialibus, vel pœnæ alicuius persoluendæ debito obstricti ex hac vita migrant. Mentitur Prædicans, cùm ait: *Martyres & infantes ideo à Purgatorio liberos pronunciari; quod ab his Sacerdotes nullam prædam aut quæstum exspectare possint.*

55. Iuuantur qui Purgatorium incolunt viuorũ suffragiis, quæ triplicia sunt, sacrosanctum Missæ sacrificium, Orationes, & Opera satisfactoria, sub quibus etiam comprehenduntur Indulgentiæ. Contra omnia ista remedia iuuandis animabus salubriter instituta, ita debacchatur Lutheranus prædicans, vt de potestate mentis exiisse videatur. Sed cum præter consueta hæreticis in hac materia conuicia & mendacia nihil adferat, non videtur operæprecium, diutius iis recensendis & refellendis immorari. Tantùm monemus Prædicantem, ne ita sæuiendo in Purgatorium sese fatiget: immunem præsta-

Digitized by Google

præstabimus illum à Purgatorio. Nam Purgatorium Prædicantibus non est extructum, sed Infernus.

DE LIMBO INFANTVM.

56.

TERTIVM receptaculum statuunt orthodoxi pro animabus infantium, qui peccato originali infecti moriuntur: eumque locum plerique supra Purgatorium collocatum volunt. Obiicit iste *locũ hunc ex Gentilium traditione fabricatum esse; ex quorum sententia sint* illi apud Virgilium versus: *Thesi 51.* *6. Æneid.*

Continuò audita voces vagitus & ingens, &c.

Sed iam respondimus, verum non ob id fieri falsum, quod ab Ethnicis fuerit, vel expressè, vel occultè, & quasi per transennam agnitum: *Vnde hac, oro vos,* (inquit Tertullianus) *Philosophis aut Poëtis, tam consimilia? non nisi de nostris Sacramentis, tanquam de prioribus.* *In Apologetico cap. vlt.*

57. *Iesuita*, inquit Prædicans, *huic Limbo nullum Scripturæ locum illinere possunt; & tamen constanter affirmant: ad perpetuum exilium & tenebras infantes esse damnatos.* Miscet Prædicans imperitè quæstiones. Alia quæstio est, vbinam sint infantes, qui ex hac vita peccato originis obstricti decedunt: & alia, num huiusmodi infantes ad perpetuum exilium damnati sint. *Thes. 52.*

58. Pro hac posteriori clarissimum locum habemus illum apud Diuum Ioannem, vt alios hîc prætereamus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quid autem aliud est perpetuo exilio multari, quàm regno DEI perpetuò *Ioan. 3.*

Digitized by Google

excludi? Coniici autem hos exules in vnum locum eumque subterraneum, non quidem expresse tradit Scriptura: at tradunt id SS. Patres & Concilium Florentinum, hoc ipso, quòd docent, animas eorum, qui in solo peccato originali decedũt, vel in mortali actuali: in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos: si pœnæ dispares sunt, ob disparem conditionem eorum, qui pœnas luunt, cur non sint etiam loca disparia? Neque fraus est approbare opinionẽ Scholasticorum, qui Limbum puerorum faciunt altiorem Gehenna, & Purgatorio: sed Prædicantis fraus est hanc approbationem vocare fraudem.

Thes. 56. 59. Quærit, *num inter exaltationem Limbi puerorum & Purgatorium aliquod interiaceat inane. Si nullum, necesse est*, inquit, *vt ignis ille inferni vi sua sursum tendat, penetret, suoq; calore non modò interpositum parietem; sed ipsos quoq; fictitij Limbi incolas amburat, & consumat.* Imò potiùs hoc quod iste obiicit, sequi videretur, si nulla pars terræ infernum inter & Limbum interponeretur. Citiùs enim ignis peragrabit spatium solido corpore carens quàm repletum. Deinde non magis sequitur fore, vt ignis ille, qui instrumentum diuinæ iustitiæ est, partem illam terræ perrumpat, quàm vt vi sua ad aëris vsque oras & auras erumpat; tum quia, vt antea dicebamus, diuino nutu ignis ille regitur & temperatur; tum quia ignis quoad durat pabulum, quo pascitur, sursum minimè tendit, sed nutrimento suo tenaciter hærescit; tum etiam, quia tam validum & firmum esse potest illud interstitium, vt in id ignis efficacitate sua agat quidem, nunquam tamen præualeat.

60. Hinc neque Limbum infantum, neque SS. Patrum

trum ignibus oportet esse plenum, vt iste nugatur. Neque hoc didicimus ex illis Virgilij versibus:

Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras 6. *Aeneid.*
Perq; domus Ditis vacuas & inania regna.

Sed potiùs id ab ipsa veritate accepit Virgilius, si verum dixit aut scripsit: *Omnia aduersus veritatem de ipsa veritate constructa sunt*, inquit Tertullianus, *operantibus æmulationem istam spiritibus erroris, ab iis adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ suborta, ab his quadam etiam fabula immissa, quæ dissimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel etiam si possent, euincerent, vt quis ideo putet Christianis* (Catholicis) *non credendū, quia nec Poëtis, nec Philosophis.* *In Apologetico cap. 4le.*

61. Omnino hodie agunt hæretici cum Catholicis, vt olim Ethnici cum Christianis: *Ridemur*, inquit Tertullianus, *Deum prædicantes iudicaturum, hoc enim & Poëta & Philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur. Sic enim & Pyriphlegethon apud mortuos amnis est.* Pari modo, si quid hoc tempore Catholici de Purgatorio, de Limbo infantum, & SS. Patrum afferunt, statim cum versiculis ex Virgilio adsunt Sectarij, & in his iste prædicans; & nos rident, quasi hæc à Poëtis acceperimus, cùm illi potiùs à nobis hæc talia acceperint: *Quis Poëtarum, quis Sophistarum* (inquit Tertullianus) *qui non omnino de Prophetarum fonte potauerit?* *Loco citato.*

62. Docent Catholici ex probabiliori sententia, paruulos in Limbo tantummodò pœnam damni, non autem pœnam sensus subituros: tum quia Scriptura pœnam sensus plerumq; refert ad peccata personalia, tum quia peccatum originis nullam habet conuersionem ad creaturam ex voluntate propria. Hic Prædicans: *Ri-*

Digitized by Google

Thes. 53. *diculum*, inquit, *est in illo exilio nullum esse sensum pœnæ.* Probat; *quia Virgilius ait, animas infantum vagire & flere*, hoc est, *doloribus affici.*

63. Expectabamus à prædicante Euangelico, Euangelicam probationem, & ecce adfert nobis Virgilianam. Sed demus infantes ex amissa beatitudine aliquo dolore affici, vt multi non improbabiliter opinantur, non tamen ob id pœna sensus multari censendi sunt. Nosse enim debet Prædicans, ad rationem pœnæ requiri, vt infligatur ex intentione puniendi. At Deus dolorem istum non infert damnatis infantibus consilio puniendi eos, sed sequitur ex ipsa conditione talis naturæ & status. Hoc ipso enim, quod Deum non vident, existit in illorum animis internus quidam dolor.

DE LIMBO PATRVM.

64.

ESSE, vel potiùs fuisse receptaculum proprium, & ab aliis distinctum pro animabus iustis, & post passionem Christi reipsa saluandis, certum & exploratum est apud orthodoxos. Obiicit Prædicans, ex sacris literis, planè de hoc loco nihil constare, neque rationes vllas esse, quibus id demonstrari possit. Dicat ergo nobis, quid sibi voluerit Iacob Patriarcha, cùm illa verba pronunciauit: *Descendam ad filium meum in infernum.* Iustus erat Iacob & similiter Ioseph, & tamen Iacob non dixit se ascensurum ad filium suum in cœlum; sed descensurum in infernum, nisi fortè descensus ad infernum sit huic Prædicanti ascensus ad cœlum.

Thes. 9.

Genes. 37.

65. Sed

65. Sed ait: *Descendere ad infernum, phrasi Hebraa nihil esse aliud, quàm mori & sepeliri.* Ergo Christum descendisse ad inferos, nihil est aliud, quàm Christum fuisse mortuum & sepultum. Expungant ergo ex symbolo Apostolico illud: *Descendit ad inferos*; ne breuitas symboli inani tautologia extendatur. Mortuum enim & sepultum fuisse verbis antecedentibus confitemur. Battologus item erit iuxta hanc huius Prędicantis glossam S. Lucas, cùm de Epulone ait: *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno*; si in infernum ire idem est, quod mori & sepeliri, cur addit S. Lucas illud: *in inferno.* Quod si infernum pro sepulchro accipiat, perinde erit ac si dixisset S. Lucas; *Diuitem sepultum esse in sepulchro*; quasi videlicet putasset aliquos fore, qui crederent diuitem fuisse extra sepulchrum sepultum, nisi illud vocabulum addidisset. Thes. 39. Luca 16.

66. Iam verò Dathan, Core, & Abiron cum descenderunt *viuentes in infernum operti humo*, mortui tantum sunt & sepulti. Et *illi, qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, moriuntur scilicet tantum & sepeliuntur. Imò & cùm Deus Lucifero illa dixit: *Veruntamen vsq; ad infernum detraheris in profundum laci*: significauit phrasi Hebræa, Luciferum moriturum & sepultum iri, vt iam alia huius generis plura prætereamus. Et quomodo potuit Iacob Patriarcha optare, vt vnà cum filio suo moreretur & sepeliretur, cum putauerit filium suum à bestiis fuisse deuoratum? An & ipse fortassis ab illa fera pessima deuorari, & in eius ventre recondi optabat? Num. 16.

67. Ad extremum ex Prædicante quærendum est, in quonam probato auctore legerit vocem ᾅδην, significare *sepulchrum*, qua voce vtuntur scriptores noui Testamenti,

stamenti, & eadem interpretes Græci reddere solent vocem Hebræam שְׁאוֹל in libris Testamenti veteris.

Thesi 38. 68. *Sed Iacob viderat*, inquit Prædicans, *Deum facie ad faciem, & luctatus erat cum Deo & hominibus, & factus erat Israël, id est, Victor Dei. quis*, inquit, *credat in tenebras inferni fuisse demersum*? Quid miratur Prædicans? Locus iste amicorum Dei erat, non inimicorum. Sanctissimo cuique eò eundum fuit, donec Christus iter ad cœlum pandit. Nemo maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. Ab hoc tamen loco immunis non fuit. Et tamen non tantùm viderat Deum vel Angelum in humana specie, sed ipsum Verbum diuinum incarnatum. Videtur autem Prædicans iste, nimis crassè de clara visione Dei, in qua beatitudo consistit, ratiocinari, si eam non aliam futuram putat, quàm fuit illa Patriarchæ 1. Ioan. 3. Iacob. *Videbimus eum*, inquit ille, *sicuti est*. At Iacob neque Angelum vidit sicuti est illa visione, nedum Deum.

69. Probatur idem Limbus Patrum ex historia seu Luca 16. parabola de Epulone, qui Lazarum vidit in sinu Abrahæ, hoc est, in loco multum quidem à se distante, sed tamen subterraneo; ex quo manasse videtur, vt Limbus hic communi vsu appelletur *sinus Abrahæ*. Occi-Thes. 42. nit Prædicans: *Lazarus consolatione fruebatur. ergo non erat in loco amissionis summi boni*: Quasi verò Catholici negent, animas in Limbo omni consolatione fuisse destitutas. At carebat visione Dei, & pœna damni afficiebatur? Hoc non obstat. Nam & in hac vita clarè Deum non videmus; & tamen omni consolatione spirituali non caremus.

Thes. 21. 22. 70. *At pœna damni*, ait iste, *longe est grauissima, & nulli pœna, siue in hoc, siue in alterius vita statu comparanda, ac pro-*

proinde omnes consolationes excludit, idque testimonio Bellarmini, & Antonini, & aliorum probat. Sed Auctores isti loquuntur de pœna damni, prout est in damnatis, vbi carentia diuinæ visionis verè & propriè pœnæ locum habet, quippe remota ab omni spe consequendæ beatitudinis, & inflicta à Deo cum puniendi proposito.

71. Cæterùm Iusti in Limbo carebant diuina visione; sed cum certissima spe aliquando eandem consequendi; Hinc carendo, pœnam propriè non luebant. Non enim propositum erat Deo illos punire pœna damni, sed per accidens incommodum hoc patiebantur, cùm via Sanctorum nondum esset propalata, sicut & nunc animæ in Purgatorio, quibus culpa mortalis remissa est, per accidens ratione sui status subiacent pœnæ damni, non autem per se: Etsi non negamus, dilationem illam piis illis spiritibus dolorem aliquem peperisse: *Spes enim, quæ differtur, affligit animam.* Certa tamen fiducia salutis obtinendæ, & consolatio diuina, & visitatio Angelica dolorem hunc valdè leniebant. Non igitur verum est, quod ait Prædicans; *Lazarum nō fuisse in loco fæliciori, quàm Epulonem, si diuina visione caruit, fuisseq́ in hac vita multò fæliciorem, plenum sanie & vlceribus, quàm in altera diuinæ visionis expertem.* Prouerb. 13. Thes. 43.

72. Probant præterea orthodoxi, & rectè, Limbum hunc ex illo Zachariæ: *Tu autem in sanguine Testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Hoc certè loco *Lacus* nomine intelligi nequit cœlum. Non enim in cœlo vincti sunt, neque Dominus ex cœlo suos eduxit, sed potiùs in cœlum induxit. Hic iste: *Siccine vixerunt sancti Patriarchæ? siccine Abrahamus & alij?* Videtur ex Prædicante factus Saducæus. An putat nō vixisse Zach. 9.

Exod. 3. illos Patriarchas? An nescit illud: *Ego sum Deus Abraam, Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum*, ait
Matth. 22. Dominus, *sed viuentium. Explicant*, inquit iste, *hunc locum alij de Purgatorio*: Quasi verò idem locus non rectè, & de Limbo, & de Purgatorio exponi possit, quandoquidem Christus ad inferos descendens, tam ex Purgatorio, quàm ex Limbo vinctos liberauit.

73. Præbet insuper huic Limbo testimonium apparitio Samuelis, qui de terra ascendere visus est, non descendere ex cœlo. Respondet iste, *non fuisse animam Samuelis, sed phantasma.* Non ignoramus magnos Auctores fuisse in hac sententia; sed æquè magni, imò longè maiores contrarium non modò sibi, sed & aliis persuaserunt, quibus cur non potiùs adhæreamus quàm Prædicantibus, nulla equidem apparet ratio ipsis sacris literis suffragantibus: *Cùm vidisset*, inquit Scriptura, *mulier Samuelem*. Dixit *Samuel ad Saul, Intellexit ergo Saul, quod Samuel esset.* Neque verò magni ponderis ea sunt, quæ oppositæ opinionis asserrores obiiciunt ac præsertim Prædicantes. Non enim vi Pythonissæ & veneficæ euocata fuit anima Samuelis, sed singulari nutu & permissu Dei, neque corpus Samuelis à mortuis excitatum est, vt iste imperitè obiicit, sed anima in corpore formato ex aëre præsentem sese obtulit.

(Margin: 1. Reg. 29. Thes. 31.)

74. Nec desunt astruendo huic Limbo alia Scripturæ testimonia, vt ille apud B. Petrum, vbi Christus *iis, qui erant in carcere spiritibus prædicasse dicitur.* Si animæ iustorum erant in carcere, non igitur erant in cœlo. Ridiculum enim esset dicere, animas fuisse in cœlo, tanquam in carcere. Testatur item Apostolus, omnes iustos, *iuxta fidem defunctos non acceptis repromißionibus, sed à longe eas aspexisse*, hoc est, beatitudinem non obtinuisse,

(Margin: 1. Petr. 3. Ad Hebr. 11.)

nuisse, sed sperasse illam, vt obtinendam post Christi passionem. Et alibi ait S. Apostolus; *Nondum fuisse propalatam Sanctorum viam, donec Christus summus Sacerdos seipsum pro peccatis offerret*, quod Patres intelligunt de via ad Cœlum clausa vsque ad passionem Domini. Explicat etiam D. Chrysostomus de Limbo Patrum illũ Isaiæ locum: Portas æneas confringam, & vectes ferreos conteram, & aperiam tibi thesauros obtenebratos, & inuisibiles ostendam tibi: *Infernum sic vocat*, inquit Chrysost. *quamuis enim infernus esset, animas tamen tenebat sanctas, & vasa pretiosa Abraham, Isaac & Iacob, propter quod thesauros vocat, obtenebratos autem, quia nondum Sol iustitiæ ibi fulserat.*

Hebr. 9.

Orat. quod Christus sit Deus.

Isaia 45.

75. Vt Disputationi finem imponamus, & quidem verbis ipsius Prædicantis, *in fastigio* hæreticæ *impudentiæ collocandum videtur, quod scribere audet, Bellarminum & Iesuitas Heliam Prophetam in Limbum coniicere.* Nam Bellarminus eo ipso loco, quẽ citat Prædicans, ne verbum quidem de hac re habet; sed hoc dicit, eos, qui ab Helia, Helisæo & aliis à mortuis excitati fuerunt, aut fuisse in Purgatorio, aut in Limbo. De Helia tam Bellarminus, quàm alij omnes Iesuitæ ita statuunt, cum nondum esse mortuum, sed cum Enoch, Antichristo sæuiente, denuò venturum in orbem, vt eius impietatem & immanitatem coarguat. *Translatus est Enoch & Helias*, inquit Tertullianus, *nec mors eorum reperta est, dilata scilicet; caeterùm morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.*


Thes. 25.

Lib. 2. de Purgat. cap. 8.

Vide Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 6.

Lib. de anima cap. 28.






Diſputatio hæc, de animarum receptaculis, plena eruditionis, vacans ab omni, quod orthodoxæ fidei, bonisq; moribus aduerſatur, vtiliter, præſertim ad confutandos & confundendos Sectarios, typis mandari, & ad diſcuſſionem publicam proponi poteſt.

Ita iudico ego IOANNES RIEPELIVS, *SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, id temporis Theologici Collegij* DECANVS, *nec non Prorector in alma Academia Ingolſtadiana.*

SECVN-

Digitized by Google



SECVNDA DISPVTATIO THEOLOGICA, QVÆ EST DE STATV BEATORVM, HABITA INGOLSTADII M. D. XCVI.

Thesis Prima.


EXPERIENTIA constat, omnes omnino homines beatitudinem appetere; in communi quidem spectatam, necessariò quoad specificationem; siue loquamur de appetitu naturali non elicito, siue de appetitu elicito.

2. Eadem necessitate appetitur beatitudo sub ratione sua propria & speciali; hoc tamen discrimine, quòd beatitudo in genere, ita necessariò ab hominibus appetitur, vt omnes interdum hanc necessitatem exerceant: beatitudo autem in particulari minimè, cùm non cognoscatur ab omnibus. Quoad exercitium neque in communi, neque in particulari necessariò appetitur.

3. Appetitur beatitudo summè ab omnibus, appetitu naturali non elicito. Appetitu autem elicito, non

Digitized by Google

appetitur necessariò summè intensiuè; summè tamen appetitur appretiatiuè, tam in communi, quàm in particulari, si præcisè & secundùm se consideretur.

4. Et hic quidem appetitus, quo omnes in beatitudinem feruntur, argumento est, ab hominibus beatitudinem posse obtineri; quæ duplex est; obiectiua, & formalis seu essentialis, illa in nullo bono creato, sed in solo Deo consistit: hæc non est quiddam increatum, sed creatum. Est enim operatio; non transiens, sed immanens; non partis sensitiuæ, sed intellectiuæ; neque in solo intellectus, aut solo voluntatis actu; sed in vtroque adæquatè continetur, ita, vt ex clara Dei visione, eiusque amore & fruitione, essentialiter integretur.

5. Neque huic claræ visioni, & quidditatiuæ cognitioni Dei, obstat infinita distantia, quæ est inter potentiam & obiectum. Non enim opus est, vt in potentia sit perfectio, vel maior, quàm in obiecto; vel æqualis omnino vel æqualis secundùm aliquam certam proportionem; sed sufficit proportio eiusmodi, vt possit potentia in obiectum tendere, seu certo quodam modo illud respicere, quo non potest alia quædam potentia, cuius res illa non est obiectum; quam proportionem licet intellectus noster non habeat ex se; habet tamen illam, adiutus munere luminis gloriæ, de quo postea.

6. Ex parte obiecti à beato clarè visi, non requiritur vlla similitudo creata, quæ essentiam diuinam repræsentet; sed ipsa diuina essentia, cum intellectu beati intimè coniuncta, vicem speciei intelligibilis sufficientissimè & perfectissimè supplet; non apparet tamen ratio, quæ ostendat, fieri non posse per potentiam Dei absolutam, vt detur species creata diuinæ essentiæ: imò

posset

Digitized by Google

posset etiam Deus solo suo actuali concursu, supplere munus hoc, siue speciei creatæ, siue etiam suæ essentiæ, vt vicem speciei intelligibilis subit.

7. Nullus intellectus creatus, siue sit in corpore, siue corpore solutus, videre potest, viribus solius suæ naturæ nixus, diuinam essentiam clarè & quidditatiuè. Nec refert, quòd Deus, vt clarè visus, contineatur etiam intra latitudinem obiecti intellectus: non enim necesse est, vt omne suum obiectum propria virtute, eaque sola attingere queat: vt neque necesse est, omnem omnino capacitatem & potentiam, seu non repugnantiam rei, ab agente naturali expleri, & ad actum reduci posse.

8. Indiget ergo intellectus ad claram Dei visionem adiumento supernaturali, quod *lumen gloriæ* à Theologis dici solet, quo intellectus corroboratus, & quasi suprà suam naturam eleuatus, elicit visionem beatificam, atque adeò Deum clarè & quidditatiuè cognoscit.

9. Hoc lumen gloriæ esse habitum, non est quidem expresè de fide: tam certum tamen est, vt contrarium asserere, omninò censeatur temerarium & erroneum. Interim tamen non negamus, Deum hoc lumen gloriæ supplere posse, ita, vt beatus etiam sine lumine gloriæ quidditatiuè Deum videat. Et hoc quidem dupliciter.

10. Primùm, dando intellectui qualitatem æquiualentem lumini gloriæ; quæ licet naturâ sua non esset durabilis, & difficulter mobilis; &, quod hinc sequitur, neq; habitus: tamen actu semper duraret. Secundò, nullã eiusmodi formam dando intellectui; sed solo suo concursu actuali supplendo id, quod alioqui lumẽ glo-

gloriæ præstare solet. Cur enim Deus hoc facere non posset?

11. Nec improbabile est, beatum æquè visurum Deum clarè & quidditatiuè, licet solus Deus effectiuè visionem beatificam produceret: dummodo visio hæc à solo Deo producta, aliquo modo propria beati esset, nempe per inhærentiam, & proportionem cum potentia; quandoquidem beatus non tam videt producendo visionem, quàm illam habendo proportionatam sibi & obiecto.

12. Concurrit autem lumen gloriæ ad beatificam visionem vnà cum intellectu effectiuè; ex quorum vtroque simul cum essentia diuina, supplente speciem intelligibilem, vna quædam & totalis caussa visionis beatificæ existit: nam concursum illum generalem Dei, quo ad hunc etiam effectum, tanquam caussa vniuersalis concurrit, hîc præterimus: tum quia alterius est ordinis: tum quia nobis tacentibus per se patet, eum esse necessarium.

13. Habet præterea lumen gloriæ rationem dispositionis, tum ad visionem beatificam recipiendam, tum etiam ad essentiam diuinam, tanquam ad formã quandam intelligibilem: quæ tamen duo munera non re, sed sola ratione differunt.

14. Nulla datur creatura, cui lumen gloriæ sit connaturale. Quæritur autem, vtrum per potentiam Dei absolutam dari possit creatura, cui vel lumen gloriæ esset naturale; vel aliquid lumini gloriæ æquiualens? vel quæ sine vllo superaddito dono supernaturali, in sua essentia tantæ esset perfectionis, vt Deum clarè videre posset? Nos quidem negatiuam partem tenemus, cum sententia communi.

15. In-

Digitized by Google

15. Inter beatos vnus perfectiùs & clariùs videt Deum, quàm alius, atque adeò beatitudines inter se sunt inæquales. Causa huius inæqualitatis non est, quòd vnus videat plura eorum, quæ sunt in Deo formaliter; vel plura eorum, quæ sunt in eo eminenter; sed quòd vnus illa ipsa, quæ sunt in Deo, videat clariùs, distinctiùs, & perfectiùs, quàm alius. Cuius quidē maioris perfectionis causa remota sunt gratia & maiora merita; proxima, lumen gloriæ. Explet autem quilibet gradus beatitudinis desiderium beati, licet maioris & intensioris gradus absolutè sit capax.

16. Intellectus naturaliter perfectior, cum æquali lumine gloriæ, non elicit perfectiorem visionem, quamuis sese non habeat impertinenter ad visionem beatificam. Nec effugit sententia Caietani multas absurditates, quomodocunque tandem explicetur.

17. Omnium beatitudines vnius & eiusdem speciei sunt: quod ex eodem obiecto primario; ex eadem diuina essentia, vt supplet vicem speciei intelligibilis; & ex eodem principio proximo, lumine scilicet gloriæ, rectè colligitur.

18. Nullus creatus intellectus cognoscere potest Deum, cognitione tam perfecta ex parte notitiæ & obiectorum, quàm perfecta Deus seipsum cognoscit, cognoscendoque adæquat & comprehendit; licet alio quodam sensu rectè asseratur, quemlibet beatum cōprehendere Deum. Vtrum autem diuina virtute fieri possit, vt quis cognitione creata Deum comprehendat, & secundum omnem habitudinem, quam habet, ad omnem omnino effectum possibilem cognoscat, quæri solet. Nos negamus.

19. Quilibet beatus videt omnia, quæ ſunt in Deo formaliter & quidditatiuè: hinc fieri nequit, vt quis clarè & quidditatiuè diuinam eſſentiam cognoſcens, non cognoſcat etiam tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas; cum ſint de intrinſeca ratione diuinæ eſſentiæ; neque etiam vnam perſonam ſine alia, neque vnum attributum ſine alio videre poteſt. Nam quòd id in hoc mortali ſtatu fit, indicium eſt noſtri imperfecti in intelligendo modi.

20. Etſi nullus intellectus creatus videt omnia, quæ ſunt eminenter in Deo, hoc eſt, omnes effectus Dei poſſibiles: videt tamen ea, quæ videt, eâdem viſione, qua ipſum Deum videt, ita, vt Deus illius viſionis ſit obiectùm primarium; res verò, quæ in Deo videntur, obiectum ſecundarium.

21. Neque negare volumus, res quoque, ſaltem quæ aliquando actu ſunt, fuerunt, vel erunt, videri in ſeipſis, & in proprio genere, cum dicimus, illas videri in Deo, ſeu in Verbo: ſed tantùm ſignificare volumus, eas non videri per propriam ſpeciem, quatenus in Deo videntur; ſed per diuinam eſſentiam, tanquam per ſpeciem, & per rationem cognoſcendi, & quatenus videntur vt quiddam ad Deum pertinens, nimirum vt effectus ad ſuam cauſam: quas itidem res repræſentat Deus vt ſpeculum, & vt imago, non propriè & vniuocè, ſed impropriè & metaphoricè, qui cum eaſdem etiam res in actu quidem ſecundo non repræſentet neceſſariò, rectè etiam ſpeculum voluntarium appellatur.

22. Et quamuis beati omnia, quæ formaliter ſunt in Deo, cognoſcant, & conſequenter ipſam etiam cognitionem Dei, qua ſeipſum comprehendit, & omnes effectus poſſibiles cognoſcit; non tamen ſequitur, eos pro-

Digitized by Google

propterea omnia videre, quæ Deus videt: quia ſcientia Dei eſt independens ab obiectis, nec ab illis petitur, ſicut accidere ſolet in cognitione creata. Et licet Deus in actu etiam primo repræſentet omnes omnino res poſſibiles beatis; non repræſentat tamen omnes in actu ſecundo; quo fit, vt non omnes videantur à beatis.

23. Quilibet beatus, etiamſi minimum gradum luminis gloriæ obtineat, videt omnes ſpecies & quidditates rerum, quæ aliquando actu fiunt. Item omnia, quæ hîc credimus. Præterea omnia, quæ ad cuiuſque beati ſtatum pertinent. Nam Rex, v. g. ſi fuerit beatus, videbit omnia, quæ geruntur in ſuo regno: quod tamen intelligendum eſt de rebus maioris momenti, & quæ ad bonum commune totius regni ſpectant.

24. Vident etiam beati orationes, quæ ad ipſos funduntur; & quidem eâdem viſione beatifica: quamuis alij id fieri velint per peculiares quaſdam reuelationes. Nec abſurdum eſt, aliquem minùs beatum plura huius generis videre, quàm magis beatum; cum non neceſſe ſit ob id Deum clariùs & perfectiùs quidditatiuè videre. Beati vident etiam pœnas damnatorum. Et ſi quidem eas vident in verbo, ſemper eas vident: Si autem nõ videant in verbo, ſed diſtincta viſione; tunc non eſt neceſſe, vt miſerias illas ſine intermiſſione intueantur. Nec mouentur ad miſericordiam, ſed potius lætantur de illo ſupplicio, non quidem præcisè, quatenus habet rationem mali; ſed quatenus eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ, quo Deus peccata damnatorum punit, lætabitur enim iuſtus, cum viderit vindictam.

25. Poſſet dari abſolutâ Dei virtute, tam exiguum lumen gloriæ; quo nulla omnino creatura in ſpecie vel

in indiuiduo videretur: licet fieri non possit, vt saltem in genere & in confuso, nulla creatura videatur: hoc ipso enim quòd cognoscitur potentia Dei formaliter & quidditatiuè, vt quidem à quouis beato cognoscitur, necesse est, creaturas quoque, saltem in confuso, cognosci.

26. Visio beatifica est vnica & indiuisibilis notitia, apprehensiua scilicet simplicium, & iudicatiua complexorum; licet ipsa secundùm se, omnis omnino cõplexionis, atque adeò prioris & posterioris expers sit. Est præterea speculatiua & practica, quamuis potius speculatiua sit vocanda. Mensuratur æternitate participata, quam in anima Christi subiectiuè collocamus. Nec est beatis libera visio beatifica; sed necessaria, quoad specificationem, & quoad exercitium.

27. Deum in hac vita nemo videre potest clarè & quidditatiuè; loquendo de lege Dei ordinaria. Posset tamen Deus alicui in hac vita claram suæ essentiæ cognitionem impertiri: siue constanter & permanenter, vt patet in Christo Domino; qui viator simul & comprehensor fuit; siue tantum transeunter, vt sic loquamur; quo pacto multi nõ improbabiliter volunt, Moysen & S. Paulum in hac vita vidisse Deum, licet pars negatiua æquè efficacibus argumentis sese tueatur. Illud item nobis videtur non posse fieri, vt alicui communicetur cognitio Dei clara & quidditatiua, quæ sit abstractiua; sed necessariò esse debere intuitiuam.

28. Ad essentialem beatitudinem requiruntur multa quasi accidentia; cuiusmodi inprimis sunt illa ornamenta animæ, quæ à Theologis dicuntur *dotes*, visio nimirum clara diuinæ essentiæ, delectatio, & comprehẽsio; non quidem simpliciter, sed cum respectu & habitudine

tudine ad actualem vel habitualem fidem, charitatem, & spem in hac vita exercitam, vel habitam.

29. Ex quibus sequitur, has dotes formaliter nõ esse in CHRISTO: tum quia non habuit fidem & spem: tum quia nunquã per charitatem viatoris peruenit ad beatitudinem, cum semper fuerit beatus, quoad animam. Angelis tamen videntur dotes tribuendæ, cum etiam fuerint viatores, atque adeò per fidem, spem, & charitatem ad beatitudinem peruenerint; quamuis aliqui negent, dotes competere Angelis, quòd alterius sint naturæ, quàm Christus, animæ sponsus: sed res tandem abit in quæstionem & controuersiam de nomine.

30. Prædictis tribus animæ dotibus, rectè annumeratur rectitudo voluntatis tanta, vt beatus nõ possit vnquã peccare: Cuius rectitudinis caussa nõ est tantũ extrinseca Dei voluntas & lex, sed ipsa natura status beatifici: quæ dos omnibus omnino beatis rectè attribui potest; nisi quis de vocabulo contendere velit.

31. Pertinet huc laureola, quæ nihil aliud est, quã accidentale quoddam præmium seu gaudium, de aliquo insigni facto, superadditũ essentiali præmio, quod corporali aliquo decore ostendetur tum, cum beati corpora resument. Et est triplex, Virginum, Martyrum, & Doctorum. Quæ laureolæ non modò hominibus noui testamenti, sed & veteris propositæ fuerunt.

32. Consortium animæ cum corpore, non ita requiritur ad beatitudinem, quasi anima non possit esse essentialiter beata sine corpore. Vnde audiendi nõ sunt, qui volebant, animas non fieri beatas, ante generalem carnis resurrectionem, extremumque iudicium peractum. Certum enim est ex fide, animas, quæ ex hac vita ab omni labe immunes excedunt, statim beatitudinem consequi.

Digitized by Google

33. Multò minus tolerandi sunt somniatores illi Lutherus, Amstorffius, Anabaptistæ, Libertini, qui docent animas vsque ad extremum iudicij diem, vel profundissimè dormire, vel etiam penitus eo vsque interire resurrecturas postea cum corporibus. Quæ somnia ipse somniator Caluinus in *Psychopannychia* ex instituto refellit.

34. Quamuis corpus ad beatitudinem animę non requiratur necessariò; requiritur tamen ad hoc, vt totus homo sit beatus, vtque ipsa etiam animæ beatitudo fiat perfectior, nō quidem intensiuè, sed extensiuè, quatenus beatitudo animæ in corpus quoque redundabit, animæque ex gloria corporis nouum etiam accidentale gaudium accrescet. Hinc corpora animabus denuò vnientur, hisque quatuor potissimum ornamentis decorabuntur, claritate, impassibilitate, agilitate, & subtilitate.

35. Donum claritatis nihil est aliud, quàm lux subiectiuè existens in corpore beati; sicut lux Solis subiectiuè inest in Sole, & lumen in aëre. Neque externa tantū superficies corporis beati lucida erit; sed omnes eius partes, secundùm omnem dimensionem: *Fulgebunt enim iusti sicut Sol*; vt ipse Christus Dominus, primitiæ dormientium & resurgentium testatur; qui etiam corporum glorificatorum idea & exemplar quoddam est; quique corpus humilitatis nostræ reformabit configuratum corpori claritatis suæ. Et quod de claritate asseritur, idem etiam de aliis suprà nominatis dotibus glorificati corporis sentiendum est; cōferentur enim beatis ad exemplar illud corporis glorificati CHRISTI Domini.

36. Hæc lux corporum glorificatorum est eiusdem

spe-

Digitized by Google

speciei cum luce Solis aut ignis: Et si quæ est diuersitas, illa non malè ascribitur maiori intensioni, quæ est in illo lumine beato. Neque tamen putamus omnino improbabilem esse illorum sententiam, qui volunt specie differre: Fit autem immediatè à Deo non per creationem, sed per eductionem ex potentia obedientiali corporis beati. Porrò qui dicunt, gloriam corporis redundare ex gloria animæ, non volunt id fieri effectiuè; sed quadam proportione & concomitantur: quia animę existenti in statu tam perfecto, debita est similis, proportione quadam, gloria corporis.

37. Claritas & lux non erit æqualis in omnibus corporibus gloriosis; alia enim est claritas Solis, alia Lunæ, inquit Apostolus. Et si ipsum lumen gloriæ in anima existens, inæquale est, multò magis id de externo ac visibili hoc lumine affirmandum erit. Est autem in potestate beati, oculo non glorioso ostendere suam claritatem, vel non ostendere; vel ostendere in tali vel tali gradu intensionis. Nec improbabile est, beatum etiam coram alio beato gloriam suam cohibere posse, ne videatur.

38. Beati impassibiles sunt, hoc est, omnis omnino passionis corruptiuę, vel ad corruptionem ex sua natura disponentis expertes: quamuis passibiles dici possint, prout passio accipitur pro alteratione spirituali & perfectiua. Consistit autem impassibilitas in qualitate quadam superaddita corpori beato; per quam fit, vt nō modò beatus proximè & immediatè corrumpi non possit; sed ne quidem pati quidquam, quod molestiæ, vlliusuè doloris caussa sit. An verò hæc qualitas sit simplex, an multiplex, incertum est: Nos tamen probabilius putamus esse vnicam tantùm, per totum corpus diffusam.

39. Im-

39. Impassibilitas est æqualis in omnibus Sanctis negatiuè. Nullus enim quidquam patitur, vel pati potest; sed tamen quoad intensionem, inæqualis est, pro diuersitate meritorũ & gloriæ; sicut & ipsa claritas corporis. Porro quia exercere actus potentiarum sensitiuarum, passio quædam est, ideo videndum hîc est, vtrũ beati, salua impassibilitate, possint exercere actus sensuum exteriorum, & quos. De qua re sic sentimus.

40. Beati exercere possunt actus omnium sensuum. Et de visu quidem, si sint beati intra ipsum cælum Empyreum, minor est difficultas: At si, quod probabilius est, sint extra cælum Empyreum, ita, vt pedibus conuexam eius superficiem tangant, maior est difficultas; quomodo videndi actus exercere queant, propter species intentionales, ad visionem necessarias. Sed tamen vel species deferuntur per vacuum; vel obiectum obiectiuè agit sine medio in oculum alterius distantem; vel Deus supplet species sua efficientia, & peculiari cõcursu; vel certè datur etiam extra cælum verum & reale medium, per quod species deferantur, non obstante illo, quod vulgò dicitur: Extra cælum nihil est.

41. Videtur beatus videre posse quodcunque corpus gloriosum ad quamcunque distantiam. Idem de aliis rebus defendi posset, præsertim si in videndo, beati nõ dependeant à medio. Quod si à medio dependent, probabiliter licebit asserere, eos etiam dependere à distantia: quamuis de Christo propter vnionem personalem, contrarium credamus, ita, vt quodcunque obiectum ad quamcunque distantiam videre possit, non quidem per speciem ab obiecto acceptam; sed per concursum diuinum, qui speciem suppleat.

42. Nul-

42. Nullus beatus poteſt oculis corporeis videre diuinam eſſentiam: vtrum autem id per abſolutam Dei potentiam fieri poſſit, quæri ſolet. Et negatiua quidem pars non adeò liquida eſt, quin de ea dubitauerit vir ſanctitate & ingenio maximus B. Auguſtinus; nec deſunt rationes, quibus, qui affirmant, ſeſe tueantur.

43. Certum eſt beatos exercere operationes auditus: quia hic quoque ſenſus valdè ſpiritualis eſt, eiuſq; operatio admodum perfecta, nec dedecet ſtatum beatitudinis: imo ceſſatio illius potius feliciſſimum illum ſtatum dedeceret. Idemque omnino de medio & ſpeciebus auditus ſentiendum eſt, quod de medio & ſpeciebus viſus.

44. De actibus odoratus, guſtus, & tactus, res minùs eſt certa; ſed tamen communiter tradunt Theologi, beatos etiam horum ſenſuum actus exercere, etſi abſque alteratione materiali: quia actus iſti non dedecent ſtatum beatitudinis, & æquum eſt, vt omnes ſenſus habeant in cœlo, etiam quoad actus ſuos, quædam præmia. Quod ad medium, & ſpecies & ſimilia attinet, eadem eſt ratio in his ſenſibus, quæ in viſu & auditu.

45. Nec eſt difficultas de obiecto tactus & olfactus; Cur enim Sancti non poſſent cœlum, & ſe mutuò contingere? Et ipſa Sanctorum corpora odorifera erunt. Nam ſi Sanctorum quorundam Reliquiæ in terris ſuauiſſimo odore fragrant, nihil mirum eſt; ſi eadem corpora in beatitudine cœleſtes odores exhalent. Nec difficile Deo eſt efficere, vt aliquis ſapidus humor ſit intra organum guſtus, qui ſenſum illum poſſit intentionaliter quidem; ſed tamen ſuauiſſimè afficere, vt rectè dixit S. Thomas. Et quamuis operationes guſtus & olfactus, nō ſint in beatis propter nutritionem (nullā enim

m ope-

operationem vegetatiuæ animæ exercent beati) sunt tamen ibi, vt omnibus modis Deus magis atque magis glorificetur, vtque omnibus & singulis sensibus sua sit merces & gloria.

46. In beatis habebunt quoque sensus interni suos actus, cùm sint perfectiores, quàm externi, neque indigeant actuali immutatione ab obiecto, quippe qui etiam species conseruare, & in absentia obiecti operari possint: neque dedecent huiusmodi actus statum beatitudinis. Actus etiam appetitus sensitiui, præsertim amor & voluptas, valdè erunt perfecti in beatis, vt & actus potentiæ loco motiuæ, cùm beati dono agilitatis sint ornandi.

47. Donum agilitatis nihil est aliud, quàm qualitas quædã supernaturalis, corpori glorioso superaddita, ad motum localem expeditè & velociter exercendũ. Estq; qualitas hæc actiua simul & passiua: Illud quatenus cũ potentiis motiuis, ad motum efficiendum concurrit: Hoc, quatenus corpus aptum & habile efficit, vt tanta vel tanta celeritate moueatur. Non putamus tamen, beatum hac sola facultate tantum valere, vt sese de loco ad locum transferat, non transeundo medium.

48. Dos subtilitatis nihil aliud est, quàm facultas seu qualitas quædam penetrandi quoduis corpus, licet solidum, & cum eo in eodem loco existendi; ita, vt beatus beneficio huius qualitatis inhærentis, absque peculiari Dei concursu, possit cum quouis alio corpore in eodem loco esse.

49. Hoc fieri posse, patet primò ex Christi Domini Natiuitate: clauso enim virginis vtero natus est. Secũdò, ex Resurrectione Domini; egressus est enim clauso sepulchro: & ex ingressu ad discipulos, clausis ianuis.

Idem suadet ascensus Christi ad cœlos: nō enim credibile est, cœlos fuisse diuisos, ipso ascendente. Neq; diuidentur, quando alij beati aliquando super omnes cęlos, corporibus induti, eleuabuntur. Nec ratio denique repugnat. Non enim est de essentia quantitatis, vt ipsa sola vnum locū occupet, exclusa quacunq; alia quantitate, cū ne esse quidē in loco sit de essentia quantitatis.

50. Vtrum autem beatus possit per dotem subtilitatis esse cum alio in eodem loco, non tantùm quantitatiuè; sed etiam modo non quantitatiuo & indiuisibili, id incertum est. Nos magis inclinamus in partem negatiuam.

51. Ad beatitudinem cęlestem & supernaturalem nō requiritur necessariò societas amicorum, quasi absque illorum consortio nequeat vera beatitudo consistere. Requiritur tamen societas amicorum ad accidentalem quandam perfectionem beatitudinis, vt scilicet vnusquisque non modò de sua, sed etiam de aliorum felicitate gaudeat.

52. Neq; requiritur vsus aliarum rerum externarum, quæ ad corporis commoditatem pertinent. Vnde meritò repudiantur Chiliastæ, qui sibi persuaserunt, beatos post resurrectionē regnaturos cum Christo in terris ad mille annos, in omnium rerum copia & affluentia, in tali ciuitate Hierusalem, qualis ex auro & lapidibus preciosis describitur à D. Ioanne in Apocalypsi.

53. Beatitudo semel acquisita, nunquam amitti potest. Imo de ratione illius est perpetuitas: aliâs enim minimè expleret omne desiderium, exclusa omni miseria. Nec acquiritur beatitudo sola fide; sed requiritur studium virtutum, bonorumque operum, dum sumus in hac vita, tanquam in via ad beatitudinem: præterea au-

xilium ſupernaturale, quo poſſimus piè viuere in hac vita, & in illa altera elicere ipſam viſionem beatificam.
54. Deus non vbique beat; ſed in cœlo: Dominus enim in cœlo parauit ſedem ſuam, ibi gloriam & maieſtatem ſuam pandit & manifeſtat iis, quos cœli honore dignatur. Cœli autem nomine locus aliquis certus & determinatus intelligitur ab Orthodoxis: licet hoc tempore hæretici Vbiquiſtæ, vt infernum, ita & cœlum ponant vbique, prudenti ſanè conſilio, ne fortè à cœlo excludantur. Quis enim excludatur ab eo, quod eſt vbique, niſi, quod fateri debent, ſi ſibi conſtare velint, ſe non magis futuros in cœlo poſt mortem, quàm in inferno. Nam cùm hic & illud ſit vbique, non eſt, cur ſe magis in cœlo, quàm in inferno collocent.
55. Sed iſti non modò ridiculi, ſed & impij ſunt, dum cœlum, ſedem beatorum, quale à rectè ſentientibus conſtituitur, nominant *phantaſticum*, *Mahumeticum*, *imaginarium*, *Ethnicum*, *Tartaricum*; cùm tamen Scriptura clariſſimè paſſim clamet, certum eſſe locum, certis ſpaciis & terminis circumſcriptum, non vbique & vndequaque diffuſum.
56. Id enim primò conſtat ex illis ſacrarum litterarum locis, vbi cœlum & infernus, atque adeò terra, tanquam loca disiunctiſſima, ſibi mutuò opponuntur. Item ex illis, vbi cœlum dicitur Dei habitaculum & ſedes. Non enim aliam ob cauſſam Dei habitaculum appellatur, quàm quia ibi Deus peculiari ratione ſuam maieſtatem beatis oſtendit. Alioqui Deus non magis eſt in cœlo, quàm in terra.
57. Deinde, ſi cœlum eſt vbique, planè ſequitur, Dæmones & omnes damnatos eſſe in cœlo; viciſſimque beatos eſſe in inferno, imò in inferno, & in cœlo. Cùm enim

enim cœlum & infernus sint vbique, necesse est, vt qui alicubi est, sit in cœlo & inferno: id quod non modò de hominibus iam vitâ functis, sed etiam de adhuc viuentibus asserant oportet, si quidem suam sententiam intelligant.

58. Nec effugiunt summam absurditatem, cum pari impietate coniunctam, licet dicant, dæmones & damnatos esse in cœlo tantùm materialiter, non autem formaliter, quatenus nullum gaudium ex loco beatitudinis percipiunt. Item Angelos & beatos esse in inferno, eodem etiam modo, nempe materialiter, non formaliter, quatenus in loco Inferni nullum omnino cruciatum sentiunt. Hæc & similia commenta non tollunt dogmatis absurditatem & impietatem. Nam nihilominùs inde conficitur, beatos verè & realiter esse in inferno, vicissimque damnatos in cœlo: imo & hos & illos in vtroque.

59. Et quomodo descenditur in infernum, & ascenditur in cœlum, vt Scripturæ toties testantur, si & hoc & ille est vbique? Quomodo etiam Christus ascendit in cœlum, vt in omnibus Symbolis Fidei profitemur, & Scriptura expresſè confirmat, si cœlum est vbique? Quomodo exaltata est magnificentia eius super cœlos? Quomodo ascendit super occasum? Quomodo recessit ab illis, & ferebatur in cœlum, eleuatusque est, si vel ipse Christus Dominus, vel cœlum vbique erat, vt somniant Vbiquistæ?

60. Accedit, quòd si cœlum vbique est, & similiter infernus, non esse maiorem rationem, cur in Symbolo dicant & profiteantur de Christo Vbiquistæ: *Ascendit in cœlum: Descendit ad inferos*; quàm, *Descendit in cœlum, Ascendit ad inferos*. Ipsi etiã Vbiquistę nõ tam ascendent in cœlũ, quàm descendent, nisi Vbiquistæ esse desinant.

Digitized by Google

61. Certum apud orthodoxos est, locum illum certum & determinatum, quem Beatorum receptaculum appellamus, non esse infra orbem Lunæ; sed in aliquo vel aliquibus corporibus incorruptibilibus, quæ cæli dicuntur. Nam Scriptura de hoc habitaculo loquens, passim id appellat cælum. Cælum autem absolutè positum, accipitur pro orbe aliquo cælesti.

62. Est autem communis sententia, non quoduis cælum, sed tantummodo Empyreum esse beatorum sedem, atque adeò ad hoc ipsum cælum ascendisse Christum. Hoc verò cælum cum sit immobile, ex motu, instar aliorum cœlorum, inuestigari & cognosci non potest: quamuis doctissimi quidam viri nonnullas coniecturas afferant, quibus cœlo illi fidem conciliare volunt; sed satis innotuit communi Theologorum consensu, non sine sacræ Scripturæ auctoritate, quæ receptaculum beatorum denotare videtur, cùm peculiaris cuiusdam cæli mentionem facit, quod cælum cæli nominat.

63. Hoc cælum rotundum est, non secus atque alia cælestia corpora. Nam qui illud quadratum faciunt ea sola caussa, vt Sanctis commodius præbeat habitaculum, eò quòd pro habitatione figura quadrata accommodatior sit, quàm rotunda; illi eodem argumento terram quoque habitaculum hominum & brutorum, quadratam statuerent. Si igitur terra rotunda est, non obstante, quòd sit habitaculum hominum; cur cælum Empyreum non esset rotundum, licet sit sedes beatorum?

64. Vtrum autem beati sint futuri suprà cælum Empyreum, an intra illud, incertum est. Nos probabilius putamus, fore illos supra illam sphæram, eò quòd Christus, cum quo beati erunt, supra omnes cælos ascenderit,

rit,& excelsior cælis factus sit, vt testantur sacræ literæ; & B. Dauid monet, vt psallamus Domino, qui ascendit super cælum cæli.


65. Quando dicimus, Christum altissimum locum obtinere in cælo, vel B. Virginem supra choros Angelorum esse exaltatam; non est id intelligendum de eminentia loci secundùm situm; sed secundum dignitatẽ. Itaque vbicunque Christus fuerit in cælo, ibi erit locus omnium eminentissimus: & vbicunque fuerit B. Virgo, ibi erit locus post Christi locum omnium dignissimus. Quapropter loco pari sunt, qui sunt pares gratia, & meritis, & gloria; vbicunq; tandẽ sint secundùm sitũ.

66. Sancti possunt ad nos descendere, si velint: non enim sunt in cælo, tanquam in carcere, more illorum, qui sunt in inferno & in purgatorio. Ordinariè tamen & sine graui caussa ad homines non veniunt, exceptis Angelis, quibus id, tanquam hominum custodibus, ex officio incumbit. Quocunque tandem veniant, semper secum ferunt suam beatitudinem, sicut dæmones suam damnationem.

67. Ex his omnibus, quæ hactenus disputata sunt, satis constat, beatitudinem rectè definiri statum omnium bonorum aggregatione perfectum; cuius vna conditio est, vt ipsa sit vltimum simpliciter, ad quod omnia referri debeant, & ea ad nihil aliud. Altera, vt sit aliquid secundùm se perfectum, & maximè excellens inter alia bona. Tertia, vt expellat omnem miseriam, seu defectum boni, quod sit homini necessarium. Quarta, vt satiet appetitum hominis ita, vt nihil prætere a desideretur cum anxietate & inquietudine.


Laus DEO Virginique MATRI.

Docta



Docta, vtilis, iucunda, & elegans est hæc de Beatorum statu Disputatio, dignissimam proinde iudicaui, quæ typis, in lucem procusa edatur.

PETRVS STEVARTIVS Leodius, Decani facult. Theolog. hoc tempore Vicem gerens.



INSE-

Digitized by Google



INSERENDA SVIS LOCIS.

PAG. 120. ỳ. vlt. *cadauera.*

Memorabile est ad omnem posteritatis memoriam, quod Illustrissimus Saxoniæ Dux GEORGIVS de Lutheranis scriptum reliquit in Præfatione, quam nouo Testamento Germanico præfixit. Adscribam præstantissimi Principis verba, eo, quo ipse vsus est, idiomate. Die Lutherische sind so gantz fleischlich vnnd wild worden/daß sie auch am heiligen Freytag / vnd denn gebottnen Fasttägen nit auß Noht/sonder allein auß Muttwillen vnd Verachtung der Kirchen / Fleisch speissen vnd essen. Bitten vnnd begeren / daß man sie nach jhrem Todt nicht auff daß geweicht / sonder wie ein ander vnuernünfftig Thier begraben / jhnen nichts guts nach thun / noch für sie bitten wölle. *Lutherani penitus carnales & efferi euaserunt, ita vt etiam Feriis sextis, statisq; ieiuniorum diebus carne vescantur, non ex necessitate, sed ex sola animi libidine ac Ecclesiæ contemptu. Rogant etiam & obsecrant, vt non sepeliantur in loco cōsecrato, sed in alio quocumque, instar brutorum: & ne quidquam boni operis pro illis suscipiatur, neq; quidquam precum fiat.* Hæc de Lutheranis non aliquis ex triuio testis, sed inclytus & sempiternæ memoriæ Dux GEORGIVS. Quorum sanè postulata admodum fuêre *Euangelica.* Forsan si asinæ Baalam tam diuturnus loquendi vsus concessus fuisset, vt de rebus post mortē suam aliquid eloqui potuisset, rationi magis cōsentanea protulisset.

PAG. 136. ỳ. 15. *indicauit.* Scripsit Daniel Cramerus, Lutheranus Prædicans, Chronica Pomeraniæ. In iis

n studio-

33. Multò minus tolerandi sunt somniatores illi Lutherus, Amstorffius, Anabaptistæ, Libertini, qui docent animas vsque ad extremum iudicij diem, vel profundissimè dormire, vel etiam penitus eo vsque interire resurrecturas postea cum corporibus. Quæ somnia ipse somniator Caluinus in *Psychopannychia* ex instituto refellit.

34. Quamuis corpus ad beatitudinem animę non requiratur necessariò; requiritur tamen ad hoc, vt totus homo sit beatus, vtque ipsa etiam animæ beatitudo fiat perfectior, nō quidem intensiuè, sed extensiuè, quatenus beatitudo animæ in corpus quoque redundabit, animæque ex gloria corporis nouum etiam accidentale gaudium accrescet. Hinc corpora animabus denuò vnientur, hisque quatuor potissimum ornamentis decorabuntur, claritate, impassibilitate, agilitate, & subtilitate.

35. Donum claritatis nihil est aliud, quàm lux subiectiuè existens in corpore beati; sicut lux Solis subiectiuè inest in Sole, & lumen in aëre. Neque externa tantū superficies corporis beati lucida erit; sed omnes eius partes, secundùm omnem dimensionem: *Fulgebunt enim iusti sicut Sol*; vt ipse Christus Dominus, primitiæ dormientium & resurgentium testatur; qui etiam corporum glorificatorum idea & exemplar quoddam est; quique corpus humilitatis nostræ reformabit configuratum corpori claritatis suæ. Et quod de claritate asseritur, idem etiam de aliis suprà nominatis dotibus glorificati corporis sentiendum est; cōferentur enim beatis ad exemplar illud corporis glorificati CHRISTI Domini.

36. Hæc lux corporum glorificatorum est eiusdem spe-

speciei cum luce Solis aut ignis: Et si quæ est diuersitas, illa non malè ascribitur maiori intensioni, quæ est in illo lumine beato. Neque tamen putamus omnino improbabilem esse illorum sententiam, qui volunt specie differre: Fit autem immediatè à Deo non per creationem, sed per eductionem ex potentia obedientiali corporis beati. Porrò qui dicunt, gloriam corporis redundare ex gloria animæ, non volunt id fieri effectiuè; sed quadam proportione & concomitantur: quia animę existenti in statu tam perfecto, debita est similis, proportione quadam, gloria corporis.

37. Claritas & lux non erit æqualis in omnibus corporibus gloriosis; alia enim est claritas Solis, alia Lunæ, inquit Apostolus. Et si ipsum lumen gloriæ in anima existens, inæquale est, multò magis id de externo ac visibili hoc lumine affirmandum erit. Est autem in potestate beati, oculo non glorioso ostendere suam claritatem, vel non ostendere; vel ostendere in tali vel tali gradu intensionis. Nec improbabile est, beatum etiam coram alio beato gloriam suam cohibere posse, ne videatur.

38. Beati impassibiles sunt, hoc est, omnis omnino passionis corruptiuę, vel ad corruptionem ex sua natura disponentis expertes: quamuis passibiles dici possint, prout passio accipitur pro alteratione spirituali & perfectiua. Consistit autem impassibilitas in qualitate quadam superaddita corpori beato; per quam fit, vt nō modò beatus proximè & immediatè corrumpi non possit; sed ne quidem pati quidquam, quod molestiæ, vlliusuè doloris caussa sit. An verò hæc qualitas sit simplex, an multiplex, incertum est: Nos tamen probabilius putamus esse vnicam tantùm, per totum corpus diffusam.

39. Im-

39. Impassibilitas est æqualis in omnibus Sanctis negatiuè. Nullus enim quidquam patitur, vel pati potest; sed tamen quoad intensionem, inæqualis est, pro diuersitate meritorũ & gloriæ; sicut & ipsa claritas corporis. Porro quia exercere actus potentiarum sensitiuarum, passio quædam est, ideo videndum hîc est, vtrũ beati, salua impassibilitate, possint exercere actus sensuum exteriorum, & quos. De qua re sic sentimus.

40. Beati exercere possunt actus omnium sensuum. Et de visu quidem, si sint beati intra ipsum cælum Empyreum, minor est difficultas: At si, quod probabilius est, sint extra cælum Empyreum, ita, vt pedibus conuexam eius superficiem tangant, maior est difficultas, quomodo videndi actus exercere queant, propter species intentionales, ad visionem necessarias. Sed tamen vel species deferuntur per vacuum; vel obiectum obiectiuè agit sine medio in oculum alterius distantem; vel Deus supplet species sua efficientia, & peculiari cõcursu; vel certè datur etiam extra cælum verum & reale medium, per quod species deferantur, non obstante illo, quod vulgò dicitur: Extra cælum nihil est.

41. Videtur beatus videre posse quodcunque corpus gloriosum ad quamcunque distantiam. Idem de aliis rebus defendi posset, præsertim si in videndo, beati nõ dependeant à medio. Quod si à medio dependent, probabiliter licebit asserere, eos etiam dependere à distantia: quamuis de Christo propter vnionem personalem, contrarium credamus, ita, vt quodcunque obiectum ad quamcunque distantiam videre possit, non quidem per speciem ab obiecto acceptam; sed per concursum diuinum, qui speciem suppleat.

42. Nul-

42. Nullus beatus poteſt oculis corporeis videre diuinam eſſentiam: vtrum autem id per abſolutam Dei potentiam fieri poſſit, quæri ſolet. Et negatiua quidem pars non adeò liquida eſt, quin de ea dubitauerit vir ſanctitate & ingenio maximus B. Auguſtinus; nec deſunt rationes, quibus, qui affirmant, ſeſe tueantur.

43. Certum eſt beatos exercere operationes auditus: quia hic quoque ſenſus valdè ſpiritualis eſt, eiuſq; operatio admodum perfecta, nec dedecet ſtatum beatitudinis: imo ceſſatio illius potius feliciſſimum illum ſtatum dedeceret. Idemque omnino de medio & ſpeciebus auditus ſentiendum eſt, quod de medio & ſpeciebus viſus.

44. De actibus odoratus, guſtus, & tactus, res minùs eſt certa; ſed tamen communiter tradunt Theologi, beatos etiam horum ſenſuum actus exercere, etſi abſque alteratione materiali: quia actus iſti non dedecent ſtatum beatitudinis, & æquum eſt, vt omnes ſenſus habeant in cœlo, etiam quoad actus ſuos, quædam præmia. Quod ad medium, & ſpecies & ſimilia attinet, eadem eſt ratio in his ſenſibus, quæ in viſu & auditu.

45. Nec eſt difficultas de obiecto tactus & olfactus; Cur enim Sancti non poſſent cœlum, & ſe mutuò contingere? Et ipſa Sanctorum corpora odorifera erunt. Nam ſi Sanctorum quorundam Reliquiæ in terris ſuauiſſimo odore fragrant, nihil mirum eſt, ſi eadem corpora in beatitudine cœleſtes odores exhalent. Nec difficile Deo eſt efficere, vt aliquis ſapidus humor ſit intra organum guſtus, qui ſenſum illum poſſit intentionaliter quidem; ſed tamen ſuauiſſimè afficere, vt rectè dixit S. Thomas. Et quamuis operationes guſtus & olfactus, nõ ſint in beatis propter nutritionem (nullã enim

m ope-

operationem vegetatiuæ animæ exercent beati) sunt tamen ibi, vt omnibus modis Deus magis atque magis glorificetur, vtque omnibus & singulis sensibus sua sit merces & gloria.

46. In beatis habebunt quoque sensus interni suos actus, cùm sint perfectiores, quàm externi, neque indigeant actuali immutatione ab obiecto, quippe qui etiam species conseruare, & in absentia obiecti operari possint: neque dedecent huiusmodi actus statum beatitudinis. Actus etiam appetitus sensitiui, præsertim amor & voluptas, valdè erunt perfecti in beatis, vt & actus potentiæ loco motiuæ, cùm beati dono agilitatis sint ornandi.

47. Donum agilitatis nihil est aliud, quàm qualitas quædã supernaturalis, corpori glorioso superaddita, ad motum localem expeditè & velociter exercendũ. Estq; qualitas hæc actiua simul & passiua: Illud quatenus cũ potentiis motiuis, ad motum efficiendum concurrit: Hoc, quatenus corpus aptum & habile efficit, vt tanta vel tanta celeritate moueatur. Non putamus tamen, beatum hac sola facultate tantum valere, vt sese de loco ad locum transferat, non transeundo medium.

48. Dos subtilitatis nihil aliud est, quàm facultas seu qualitas quædam penetrandi quoduis corpus, licet solidum, & cum eo in eodem loco existendi; ita, vt beatus beneficio huius qualitatis inhærentis, absque peculiari Dei concursu, possit cum quouis alio corpore in eodem loco esse.

49. Hoc fieri posse, patet primò ex Christi Domini Natiuitate: clauso enim virginis vtero natus est. Secũdò, ex Resurrectione Domini: egressus est enim clauso sepulchro: & ex ingressu ad discipulos, clausis ianuis.

Digitized by Google

Idem suadet ascensus Christi ad cœlos: nõ enim credibile est, cœlos fuisse diuisos, ipso ascendente. Neq; diuidentur, quando alij beati aliquando super omnes cęlos, corporibus induti, eleuabuntur. Nec ratio denique repugnat. Non enim est de essentia quantitatis, vt ipsa sola vnum locũ occupet, exclusa quacunq; alia quantitate, cũ ne esse quidẽ in loco sit de essentia quantitatis.

50. Vtrum autem beatus possit per dotem subtilitatis esse cum alio in eodem loco, non tantùm quantitatiuè; sed etiam modo non quantitatiuo & indiuisibili, id incertum est. Nos magis inclinamus in partem negatiuam.

51. Ad beatitudinem cęlestem & supernaturalem nõ requiritur necessariò societas amicorum, quasi absque illorum consortio nequeat vera beatitudo consistere. Requiritur tamen societas amicorum ad accidentalem quandam perfectionem beatitudinis, vt scilicet vnusquisque non modò de sua, sed etiam de aliorum felicitate gaudeat.

52. Neq; requiritur vsus aliarum rerum externarum, quæ ad corporis commoditatem pertinent. Vnde meritò repudiantur Chiliastæ, qui sibi persuaserunt, beatos post resurrectionẽ regnaturos cum Christo in terris ad mille annos, in omnium rerum copia & affluentia, in tali ciuitate Hierusalem, qualis ex auro & lapidibus preciosis describitur à D. Ioanne in Apocalypsi.

53. Beatitudo semel acquisita, nunquam amitti potest. Imo de ratione illius est perpetuitas: aliâs enim minimè expleret omne desiderium, exclusa omni miseria. Nec acquiritur beatitudo sola fide; sed requiritur studium virtutum, bonorumque operum, dum sumus in hac vita, tanquam in via ad beatitudinem: præterea au-

xilium supernaturale, quo possimus piè viuere in hac vita, & in illa altera elicere ipsam visionem beatificam.

54. Deus non vbique beat; sed in cœlo: Dominus enim in cœlo parauit sedem suam, ibi gloriam & maiestatem suam pandit & manifestat iis, quos cœli honore dignatur. Cœli autem nomine locus aliquis certus & determinatus intelligitur ab Orthodoxis: licet hoc tempore hæretici Vbiquistæ, vt infernum, ita & cœlum ponant vbique, prudenti sanè consilio, ne fortè à cœlo excludantur. Quis enim excludatur ab eo, quod est vbique, nisi, quod fateri debent, si sibi constare velint, se non magis futuros in cœlo post mortem, quàm in inferno. Nam cùm hic & illud sit vbique, non est, cur se magis in cœlo, quàm in inferno collocent.

55. Sed isti non modò ridiculi, sed & impij sunt, dum cœlum, sedem beatorum, quale à rectè sentientibus constituitur, nominant *phantasticum*, *Mahumeticum*, *imaginarium*, *Ethnicum*, *Tartaricum*; cùm tamen Scriptura clarissimè passim clamet, certum esse locum, certis spaciis & terminis circumscriptum, non vbique & vndequaque diffusum.

56. Id enim primò constat ex illis sacrarum litterarum locis, vbi cœlum & infernus, atque adeò terra, tanquam loca disiunctissima, sibi mutuò opponuntur. Item ex illis, vbi cœlum dicitur Dei habitaculum & sedes. Non enim aliam ob caussam Dei habitaculum appellatur, quàm quia ibi Deus peculiari ratione suam maiestatem beatis ostendit. Alioqui Deus non magis est in cœlo, quàm in terra.

57. Deinde, si cœlum est vbique, planè sequitur, Dæmones & omnes damnatos esse in cœlo; vicissimque beatos esse in inferno, imò in inferno, & in cœlo. Cùm

enim

Digitized by Google

enim cœlum & infernus sint vbique, necesse est, vt qui alicubi est, sit in cœlo & inferno; id quod non modò de hominibus iam vitâ functis, sed etiam de adhuc viuentibus asserant oportet, si quidem suam sententiam intelligant.

58. Nec effugiunt summam absurditatem, cum pari impietate coniunctam, licet dicant, dæmones & damnatos esse in cœlo tantùm materialiter, non autem formaliter; quatenus nullum gaudium ex loco beatitudinis percipiunt. Item Angelos & beatos esse in inferno, eodem etiam modo, nempe materialiter, non formaliter, quatenus in loco inferni nullum omnino cruciatum sentiunt. Hæc & similia commenta non tollunt dogmatis absurditatem & impietatem. Nam nihilominùs inde conficitur, beatos verè & realiter esse in inferno, vicissimque damnatos in cœlo: imo & hos & illos in vtroque.

59. Et quomodo descenditur in infernum, & ascenditur in cœlum, vt Scripturæ toties testantur, si & hoc & ille est vbique? Quomodo etiam Christus ascendit in cœlum, vt in omnibus Symbolis Fidei profitemur, & Scriptura expresse confirmat, si cœlum est vbique? Quomodo exaltata est magnificentia eius super cœlos? Quomodo ascendit super occasum? Quomodo recessit ab illis, & ferebatur in cœlum, eleuatusque est, si vel ipse Christus Dominus, vel cœlum vbique erat, vt somniant Vbiquistæ?

60. Accedit, quòd si cœlum vbique est, & similiter infernus, non esse maiorem rationem, cur in Symbolo dicant & profiteantur de Christo Vbiquistæ: *Ascendit in cœlum: Descendit ad inferos*; quàm, *Descendit in cœlum, Ascendit ad inferos*. Ipsi etiã Vbiquistę nõ tam ascendent in cœlũ, quàm descendent, nisi Vbiquistæ esse desinant.

 61. Cer-

61. Certum apud orthodoxos est, locum illum certum & determinatum, quem Beatorum receptaculum appellamus, non esse infra orbem Lunæ; sed in aliquo vel aliquibus corporibus incorruptibilibus, quæ cæli dicuntur. Nam Scriptura de hoc habitaculo loquens, passim id appellat cælum. Cælum autem absolutè positum, accipitur pro orbe aliquo cælesti.

62. Est autem communis sententia, non quoduis cælum, sed tantummodo Empyreum esse beatorum sedem, atque adeò ad hoc ipsum cælum ascendisse Christum. Hoc verò cælum cum sit immobile, ex motu, instar aliorum cœlorum, inuestigari & cognosci non potest: quamuis doctissimi quidam viri nonnullas coniecturas afferant, quibus cœlo illi fidem conciliare volunt; sed satis innotuit communi Theologorum consensu, non sine sacræ Scripturæ auctoritate, quæ receptaculum beatorum denotare videtur, cùm peculiaris cuiusdam cæli mentionem facit, quod cælum cæli nominat.

63. Hoc cælum rotundum est, non secus atque alia cælestia corpora. Nam qui illud quadratum faciunt ea sola caussa, vt Sanctis commodius præbeat habitaculum, eò quòd pro habitatione figura quadrata accommodatior sit, quàm rotunda; illi eodem argumento terram quoque habitaculum hominum & brutorum, quadratam statuerent. Si igitur terra rotunda est, non obstante, quòd sit habitaculum hominum; cur cælum Empyreum non esset rotundum, licet sit sedes beatorum?

64. Vtrum autem beati sint futuri suprà cælum Empyreum, an intra illud, incertum est. Nos probabilius putamus, fore illos supra illam sphæram, eò quòd Christus, cum quo beati erunt, supra omnes cælos ascende-

rit,

Digitized by Google

rit,& excelsior cælis factus sit, vt testantur sacræ literæ; & B. Dauid monet, vt psallamus Domino, qui ascendit super cælum cæli.


65. Quando dicimus, Christum altissimum locum obtinere in cælo, vel B. Virginem supra choros Angelorum esse exaltatam; non est id intelligendum de eminentia loci secundùm situm; sed secundum dignitatẽ. Itaque vbicunque Christus fuerit in cælo, ibi erit locus omnium eminentissimus: & vbicunque fuerit B. Virgo, ibi erit locus post Christi locum omnium dignissimus. Quapropter loco pari sunt, qui sunt pares gratia, & meritis, & gloria; vbicunq; tandẽ sint secundùm situ.

66. Sancti possunt ad nos descendere, si velint: non enim sunt in cælo, tanquam in carcere, more illorum, qui sunt in inferno & in purgatorio. Ordinariè tamen & sine graui caussa ad homines non veniunt, exceptis Angelis, quibus id, tanquam hominum custodibus, ex officio incumbit. Quocunque tandem veniant, semper secum ferunt suam beatitudinem, sicut dæmones suam damnationem.

67. Ex his omnibus, quæ hactenus disputata sunt, satis constat, beatitudinem rectè definiri statum omnium bonorum aggregatione perfectum; cuius vna conditio est, vt ipsa sit vltimum simpliciter, ad quod omnia referri debeant, & ea ad nihil aliud. Altera, vt sit aliquid secundùm se perfectum, & maximè excellens inter alia bona. Tertia, vt expellat omnem miseriam, seu defectum boni, quod sit homini necessarium. Quarta, vt satiet appetitum hominis ita, vt nihil præterea desideretur cum anxietate & inquietudine.

Laus DEO Virginique MATRI.

Docta



Docta, vtilis, iucunda, & elegans est hæc de Beatorum statu Disputatio, dignissimam proinde iudicaui, quæ typis, in lucem procusa edatur.

Petrvs Stevartivs Leodius, Decani facult. Theolog. hoc tempore Vicem gerens.



INSE-



INSERENDA SVIS LOCIS.

P A G. 120. ỳ. vlt. *cadauera.*

Memorabile est ad omnem posteritatis memoriam, quod Illustrissimus Saxoniæ Dux G E O R G I V S de Lutheranis scriptum reliquit in Præfatione, quam nouo Testamento Germanico præfixit. Adscribam præstantissimi Principis verba, eo, quo ipse vsus est, idiomate. **Die Lutherische sind so gantz fleischlich vnnd wild worden/daß sie auch am heiligen Freytag/vnd denn gebottnen Fasttägen nit auß Noht/sonder allein auß Muttwillen vnd Verachtung der Kirchen/Fleisch speissen vnd essen. Bitten vnnd begeren/daß man sie nach jhrem Todt nicht auff daß geweicht/sonder wie ein ander vnuernünfftig Thier begraben/ jhnen nichts guts nach thun/ noch für sie bitten wölle.** *Lutherani penitus carnales & efferi euaserunt, ita vt etiam Feriis sextis, statisq; ieiuniorum diebus carne vescantur, non ex necessitate, sed ex sola animi libidine ac Ecclesiæ contemptu. Rogant etiam & obsecrant, vt non sepeliantur in loco cõsecrato, sed in alio quocumque, instar brutorum: & ne quidquam boni operis pro illis suscipiatur, neq; quidquam precum fiat.* Hæc de Lutheranis non aliquis ex triuio testis, sed inclytus & sempiternæ memoriæ Dux G E O R G I V S. Quorum sanè postulata admodum fuêre *Euangelica.* Forsan si asinæ Baalam tam diuturnus loquendi vsus concessus fuisset, vt de rebus post mortẽ suam aliquid eloqui potuisset, rationi magis cõsentanea protulisset.


P A G. 136. ỳ. 15. *indicauit.* Scripsit Daniel Cramerus, Lutheranus Prædicans, Chronica Pomeraniæ. In iis

n studio-

ſtudioſè, ſi non ſuperfluè annotat, quo quiſq; Pomeranicorum Prædicantium anno & die obierit; nec obliuiſcitur liberorum, quibus quilibet ex iſto grege mũdum adauxit, & tam beata prole beauit. Libro certè tertio cap. 48. de Valentino Krugero narrat, eum vna ex vxore genuiſſe liberos ſenos, & duodenas filias; oculiſque ſuis vidiſſe quinquaginta duos nepotes & neptes. Qua felicitate Prædicans iſte non modò S. Petrũ & S. Paulum, ſed & omnes Apoſtolos vniuerſim ſumptos longè ſuperauit. Nec, vt opinor, ex tota antiquitate vllum Epiſcopum aut Doctorem proferre licebit, qui tanto filiorum, filiarum & nepotum exercitu ſtipatus fuerit. Cap. 51. denarrat Prædicans mortem *Iacobi Rungij*, Lutherani Superintendentis, cui, ne contra Lutherani Euangelij fœcunditatem, infœcundus fortaſſis exiſtimaretur, ſuos quoque pullos attribuit, & in his Dauidem illum Rungium, qui Profeſſor Witebergæ factus, Colloquio Ratiſbonenſi interfuit, & iam ad Patrem ſuum abiit.

PAG. 151. ℣. vlt. *obtemperari.* Quam autem ſpiritus Tigurinus impatiens eſt Epitaphiorum, tam eorundẽ patiens eſt confœderatus ſpiritus Baſileenſis, vt videre licet in Epitome Hiſtoriæ Baſileenſis, Auctore Chriſtiano Vrſtiſio, ex qua ſi eximas Epitaphia Zvvinglianis & Caluinianis Baſileæ in templis & cœmeteriis poſita, liber haud paulo minor fiet. Riſi autem Epitaphium Caſtalionis, in quo ob *innocentiam vitæ doctis piisq; viris percharus* prædicatur; Non ergo *docti* & *pij* Caluinus & Beza, quibus Caſtalio adeo *ab innocentia vitæ* commendatus non fuit, vt ſuis in libris eum publicè *nebulonem* appellauerint.

INDEX



INDEX.

A.

S.Augu-

Digitized by Google

tem-

Cleom-

D.

Digitized by Google

Fune-

H.

I.

K.

L.

Digitized by Google

M.

Maria


Palma

P.

Sacer-

Digitized by Google

F I N I S.





Errrata.

PAG. 6. *versu* 18. τῶ πλεοντήσαντ☉. 11. 8. *vncturam. ibid.* 12. *pradocent.* 12. 4. *lege, affecti.* 19. 1. κηρῷ. 20. 2. *vitam, lege corpus.* 23. 26. *lusum, lege, lutum.* 26. 11. *erga.* 101. *penult.* αὐς. 103. 26. *Martyrum.* 107. 9. *lege, munificum.* 126. 25. *orientem.* 151. 7. *fecit.* 157. 9. *increuerit.* 162. 19. *prandiis.* 172. 15. *manuum.* 177. *antepenult. etiam.* 202. 7. *alterone.* 257. *vlt. Saduceus.* 271. 9. *concomitanter.*



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



